1347.u.
48413.
wanten 1/2

15.8.445

15. 8. 445.

Digitized by Google

JOH. MELCHIOR GOTTLIEB BESEKE
J. V. ac Phil. Doctoris, Profeſſoris Iuris Academiae Petrinae,
Societatis Francofurtenſis et Latinae Jenenſis Membri,

COMMENTATIO DE FRVMENTARIA LARGITIONE ET LEGIBVS FRVMENTARIIS

ad
explicanda et illuſtranda multa iuris et veterum auctorum loca.

CVM FIGG. AENEIS

DRESDEN

MITAVIAE,
apud Jac. Fried. Hinzium.
MDCCLXXV.

Digitized by Google

SERENISSIMO

CLEMENTISSIMOQUE PRINCIPI ET DOMINO

DOMINO

P E T R O

IN LIVONIA, CVRLANDIAE ET SEMIGALLIAE

D V C I

IN SILESIA TERRARUM WARTEMBERGENSIS, BRALINENSIS ET GOSCHUZENSIS

D Y N A S T A E,

&c. &c. &c.

Google

PATRI PATRIAE

SCIENTIARVM BONARVMQVE ARTIVM

FVNDATORI

MVNIFICENTISSIMO

SACRVM.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Quod ego iam ante tres annos incepi, nunc demum perfeci ac edidi *de frumentaria largitione legibusque frumentariis* opuſculum; atque id quidem, vt prius emitteretur, optabam et laborabam vehementer, ſed ade-

rant impedimenta ex quibus me expedire non poteram, potiſſimum cum domicilii mutatio multa afferret, quae a perficiendo iſto labore me plane prohiberent. Neque etiam aderant omnia, quibus opus habebam auxilia, ad eruenda enodandaque ex nebuloſa iſta antiquitate omnia, quae ad hanc materiam referuntur, vsque dum Sereniſſimus Dux Curlandiae, Princeps ac Dominus noſter Clementiſſimus, quem nulla laus attingere poterit, optimorum librorum, quibus bibliotheca berolinenſis Germershauſeniana inſtructiſſima erat, quaeque nunc praeter alias ampliſſimas librornm collectiones, no-

ſtro

ſtro vſui ex ſumma Principis gratia deſtinata dicataque eſt, mihi faceret copiam.

Quae igitur hic habes, Beneuole Lector, non a me vno profecta ſunt, attamen non absque meritis hac in re ego. *Vincentius* ſcilicet CONTARENUS iam ante me idem egit, in libro de *Frumentaria Romanorum Largitione*, qui extat in Theſauro Graeuiano Roman. Antiquit. Tom. VIII. p. 928. et ante eundem *Juſtus* LIPSIUS *in Electis* Lib. I. cap. VIII. *Hic* ſcilicet diſiecta tantum in auctoribus quibusdam veteribus membra collegit, non quidem in vnum

 corpus

corpus, ſed potiſſimum in vnum aceruum, quo quis ea facilius deprehendere poſſet; nonnulla tamen compoſuit ita, vt videri poſſet, quaenam corporis pars extaret, quaenam deficeret. Quicquid hac in re praeſtitit *LIPSIUS* abſoluitur plane explicatione locorum quorundam veterum auctorum, Liuii nempe, Appiani, Salluſtii, Suetonii, Dionis, Perſii, Coelii, Appuleii; atque continetur in collectaneis de origine frumentationis, de Lege Gracchana, et Clodia, de recenſu populi, de curatore annonae, de minutia frumentaria, de pane gradili, atque ea omnia absque ordine diſperſa iacent.

cent. Eundem in hoc genere excepit *CONTARENUS* ille, qui ex inſtituto hiſtoriam frumentariae largitionis exponebat ordine, quem ipſa rei conditio exigebat, et modo, qui memini, qui rerum antiquarum auidus eſt, diſplicere poteſt. Narrationem ſuam incepit ab anno U. C. CCXLVI. et continuauit vsque ad Imperatorum romanorum tempora, omiſſis tamen multis, quae non ſolum obſeruatu digniſſima, ſed etiam ſcitu maxime neceſſaria erant. Ordo tractationis iſtius his continetur capitibus: I. de frumentariae largitionis initio et progreſſione, dum fuit arbitraria II. Leges de frumentaria lar-

gitione. III. De frumentariis Principum largitionibus. IV. de pane pro frumento dari coepto. V. de modo frumenti. VI. de iis quibus dabatur publicum frumentum. VII. de numero accipientium publicum frumentum. de iis, qui curabant publicum frumentum. IX. de iis, qui frumentum diſtribuerunt. X. de frumentariis provinciis.

Quapropter tertius ego, et *LIPSIO* et *CONTARENO* vſus ſum; hunc potiſſimum in enarranda frumentationis hiſtoria ſecutus, ex inſtituto omnes, quas inuenire potui leges frumentarias, ſuis locis poſui et expli-

caui

caui, quantum poteram; Non enim ſatis ſuffultus eram a commentatoribus ad Pandectas aut ad Codicem Juſtinianum; vnicus Jac. Gothofredus commentario ſuo ad Codicem Theodoſianum me adjuuit, qui ſcilicet mirabili ſtudio antiquitates enucleauit, et ita expoſuit, vt omni ceterorum commentatorum opera carere poſſimus. Tantus in commentando erat, vt fere ne vnum quidem verbum inexplicatum et obſcurum praetermitteret, atque ex ipſis fontibus hauriret commentarium ſuum optima fide.

Atque vt nunc ego quidem exponam, Beneuole Lector, quid hac in re praeſtiterim,

rim, hunc habeas indicem. In quatuor capita totum diuiſi pro ratione temporum et ſtatus frumentationis opuſculum. In primo capite diſſerui de origine frumentariae largitionis et viciſſitudinibus vsque ad Legem Semproniam, hoc eſt, ab a. U. CCLXXVIII. ad a U. DCXXX. Occaſione frumentariæ largitionis et origine explicata, ſingulas largitiones et quidem decem earum enumeraui, quippe quae nec eandem habebant rationem et modum, nec in perpetuum ius tranſibant, vsque dum leges de ea ferrentur, quas caput ſecundum exhibet, vbi Viciſſitudines frumentariarum largitionum a.

L.

L. Gracchana vsque ad Auguſtum Imp. hoc eſt, ab a U. DCXXX. vsque ad a. U. DCCLI. et quidem Legem Liuiam, Syllanam legum frumentariarum abrogationem, Legem Terentiam et Caſſiam, SCtum Catonianum, Legem denique Clodiam expoſui. In tertio capite Viciſſitudines largitionum frumentariarum ſub Imperatoribus ab Auguſto vsque ad Juſtinianum tractaui. Et demum quarto capite ſtatum frumentationis ſub Juſtiniano propoſui et collationem Codicis Juſtinianei cum Theodoſiano inſtitui. Adjeci adhuc indicem eorum, qui extraordinario annonariae cauſæ munere ſub nomine praefectorum vel curatorum

torum annonae functi ſunt, quatenus eorundem notitiam habere potui. Vtere igitur, Beneuole Lector, mea opera, qualisqualis eſt, et quae dicta aut indicta ſunt in bonam partem verte.

Caput.

Caput I.

De Origine frumentariae largitionis et Viciſſitudinibus vsque ad Legem Semproniam, hoc eſt: ab a. U. CCLXXVIII. vsque ad a. U. DCXXX.

§. I.

Frumentaria largitio quid?

Cum *frumentariam largitionem*, per *diſtributionem frumenti, plebi aut gratuitam, aut pro viliſſimo pretio factam*, explicarem, mirari quis poſſet et dubitare, num recte id dictum ſit, cum largitio donationem ſignificet, frumentique plura genera ſint. Attamen quoniam non is ſolum donare dicitur, qui gratis dat, verum etiam qui ex pretio aliquid detrahit, cur non

vteremur

vteremur *largitionis* nomine, iis quoque temporibus vſitato, quibus a Senatu et magiſtratuum arbitrio, leuiſſimo pretio in modios aeſtimato, venderetur frumentum, quae poſterioribus temporibus gratuita fuit? *Frumenti* nomen tam late patet, vt triticum, milium, far, hordeum complectatur, vno verbo, omnes fruges, quae legumina non ſunt. Hocque modo vſos eſſe Romanos frumenti nomine, ex THEOPHRASTO docet PLINIUS *Hiſt. Nat. Lib. XVIII.* cap.VII. et poteſt quoque ex LIUII et DIONYSII HALICARNASSEI locis, inter ſe collatis, intelligi. Quod enim ſcribit LIUIUS *Lib. II.* a. U. CCLXIII. *ex Etruſcis frumentum Tiberi veniſſe*, id aperte prodit DIONYSIUS *Lib. VII. fuiſſe milium et far*, cum initio eius libri miſſos tradat legatos in Etruriam *σίτον ὅσον ἂν δύναιντο πλεῖστον ὠνησομένους*, *ad frumenti vim, quantam maximam poſſent, comparandam:* et alibi eorum munus appellet *σιτωνίαν*, *frumenti emtionem.* Ex quibus perſpici poteſt *σίτου* nomine a Graecis, et *frumenti* a Latinis non triticum modo, ſive *πυρὸν*, ſed multas praeterea fruges, et inter eas *far*, ſignificari. Id in tanto vſu apud Etruſcos erat, vt magnam eius vim ſuppeditare viciniſ poſſent. Et PLINIO *teſte Lib. XVIII. cap. VII. farre tantum e frumento, id eſt, ex omnibus frumenti generibus, trecentis annis vſi ſunt Romani.* Atque neceſſe quidem erat, vt hic, antequam de ipſis largitionibus verba facerem, explicarem ſatis mentem meam, ne, relictis quibusdam

obſcuris,

obſcuris, dubia exoriantur, quae diligentius inſpecta ſponte euaneſcunt, et vt potiſſimum antiqua illa ſcriptorum loca, quae probationibus noſtris inſeruient, illuſtrentur. Non enim in vlla frumenti largitione antiqua, cuius memoria exſtat, mentio generis certi vnquam facta eſt, ſed mox far, mox triticum, mox alia frugum ſpecies intelligenda eſt, adeo vt ex vivendi agrorumque colendorum ratione iudicandum ſit, quaenam fruges ſint. Ita ex modo allato PLINII loco liquet, vsque ad a. U. CCC. omnes frumentarias largitiones farre conſtitiſſe, niſi volueris in aliam ſententiam; LIUIO ſuaſore, declinare, vsque ad a. U. CCCLXV. vſos fuiſſe Romanos farre, *Lib. VII.* Equidem Plinianam auctoritatem praefero, CCC annos ſolo farre vſos fuiſſe Romanos, ſequentibus temporibus alia quoque frumenti ſpecie: an mox, cum luxuria in dies creſceret, aliae ſpecies vſitatae fuerint, et quando id, dubium mihi eſt.

Frumentationis nomen non niſi poſt latas leges vſurpatum fuiſſe, CONTARENUS obſeruauit, et id quidem praeſertim AUGUSTI aevo. *Frumentatores* ii vocantur, qui curam annonae habent, potiſſimum, quod initio fuit, ii ſic audiebant, qui mittebantur ad alias gentes, vt frumentum coemerent, atque Romam afferrent. LIUIUS Lib. II. c. XXXIV. *periculum*, inquit, *ab impetu hominum ipſis frumentatoribus ſuit.*

§. II.

Frumentariae leges quae dicantur?

Explicata iamiam largitionis frumentariae et frumentationis natura, facile exinde perſpici poterit, quaenam *leges* dicendae ſint *frumentariae; eae* nempe, *quae de frumentaria largitione diſponunt.* Vno nomine a plerisque dici ſolent *frumentariae*; a COELIO *Epiſt. VI. Libri XVIII. inter Ciceronianas* ad familiares *alimentariae* appellantur; ab ASCONIO in Piſonianam *annonianae*, ſive, vt placet viris eruditiſſimis, *annonariae.* Graeci σιτικοὺς νόμους, et frumentationem σιτιϱέσιον appellant. Leges hae inde ab aetate C. GRACCHI, vsque dum veniret respublica in vnius poteſtatem inter varias viciſſitudines fluctuarunt, quas enumerare omnes, inſtituti ratio depoſcit.

§. III.

Occaſio frumentariae largitionis.

Primis quidem Reipublicae Romanae temporibus maxima rei agrariae cura erat, tum regibus, tum priuatis, vt iam ab incunabulis eius leges agrariae inſtitutorum ciuilium initia eſſent, vti a ROMULO primum id factum eſſe, VARRO *in Lib. I. de Re Ruſtica* prodit, *qui agrum duorum iugerum viritim primus diuiſit.* Creſcente autem in diem ciuium Romanorum multitudine, quorum pauciſſimi agros poſſiderent, inglifcente luxuria, atque intemperantia, irrepentibus ſumtibus, parcimonia potioribus,

potioribus, graſſantibus denique bellis ciuilibus, quidnam prius exoriri poterat, inopia omnium iſtarum rerum, quae ad vitam ſuſtinendam maxime neceſſariae erant, frumentorum victusque; vt itaque non mirer, cur vellent Romani frumentum publice ſibi ſuppeditari, nec curarent ipſi rebus ſuis. Ita ſine dubio alludit PLUTARCHUS in CATONE Maiore *Populum Romanum importune ad frumentarias largitiones ruentem, vt auerteret, ita exorſus eſt: Difficile eſt, Quirites, ad ventrem, aurium expertem, verba facere &c.* Cui adhuc accedit, quod plebs, propter internas ſeditiones, ſuasque varias ſeceſſiones opibus exhauſta, inopiae ſuae cauſam in patriciatu quaereret, nec aliter placari poſſet, niſi factis quodammodo largitionibus, potiſſimum frumentariis, quo gratiam ſibi conciliarent magiſtratus, aut niſi largitiones eſſent, tamen curae. Quod indigitare videtur LIUIUS Lib. II. c. IX. ſtatim poſt Reges exactos Senatum curam frumentorum habuiſſe, cum ſcriberet: *Multa blandimenta plebi per id tempus ab Senatu data, annonae imprimis habita cura; et ad frumentum comparandum miſſi alii in Volſcos, alii Cumas.* LIPSIUS nimis liberaliter hunc locum de prima largitione ſumſit; CONTARENUS vero nimis ſeuere illum reprehendit, vt vtrique aſſentiri non poſſimus. Nolumus tamen cum duobus tanti nominis viris diſputare, et potius ab vtraque parte ſtare, et locum hunc de *prima cura* accipere, quae publica frumenti fuit;

 et

et mittamus quaeſtionem, vtrum largitio prima fuerit? quae niſi probabilis eſt, tamen ſuſpicari eam ex hoc loco poſſemus, ſi modo vnum adhuc antiquitatis obſcurae documentum accederet. CONTARENUS rejecto errore Lipſiano ipſum locum non vſurpatum relinquit. Vtamur igitur nos. Atque iſta quidem cura maxime neceſſaria erat, cum ab Etruſcis vrbi obſidio immineret, ideoque exinde nihil frumenti adueheretur, ne plebs cum vaſtari agros, ardere tecta, omnia extra vrbem ferri agique, vrbem ipſam vexari videret, ad regum obſequium rediret feſſa tot malis: quibus ſi fames accederet, ne Dii quidem, vt eſt apud LIUIUM *Lib. V.* ſervare vrbem poſſent. Superantur enim humana omnia mala; fame vna natura vinci non ſinit. Quod itaque LIPSIUS tamquam originem largitionum prodidit, illud ſolum occaſio eſt, quod contra CONTARENUM contenderem, niſi omnia hisce temporibus eſſent obſcuriſſima.

§. IV.

Mos largiendi antiquus.

Antequam autem ad ipſam frumentationis originem demonſtrandam progedimur, non a re noſtra plane alienum erit, explicare, quid ſibi velit antiquus, quem LIUIUS deſcribit, mos, ſcilicet *bonna Porſennae vendere.* Is enim auctor *Lib. II. cap. XIV. mos*, inquit, *traditus ab antiquis, vsque*

que ad noſtram aetatem inter cetera ſolemnia manet bonis vendendis, bona Porſennae regis vendendi. Quod cum valde obſcurum eſſet, ipſius quoque LIUII ſententia, explicare conatus eſt his verbis: *Cuius originem moris neceſſe eſt, aut inter bellum natam eſſe, neque omiſſam in pace: aut a mitiore creuiſſe principio, quum hic prae ſe ferat titulus, bona hoſtiliter vendendi. Proximum vero eſt ex iis, quae traduntur: Porſennam deſcendentem ab Janiculo, caſtra opulenta, conuecto ex propinquis ac fertilibus Etruriae aruis commeatu, Romanis dono dediſſe; inopi tum vrbe ab longinqua obſidione. Ea deinde, ne populo immiſſa diriperentur hoſtiliter, veniſſe, bonaque Porſennae appellata, gratiam muneris magis ſignificante titulo, quam auctionem fortunae regiae, quae ne in poteſtate quidem Populi Romani eſſet.* Vtrum haec pro prima largitione frumentaria, ob verba ſcilicet *ex fertilibus Etruriae arvis commeatu,* cui accedit, vti infra videbimus, Etruriam fuiſſe frumentariam prouinciam, habenda ſit, nec ne, ego non decidam. Videtur tamen, niſi prima eſt, ad occaſionem ſubſequentium frumentationum aliquid contuliſſe.

§. V.

Prima largitio a U. CCLXXVIII.

Jam vero neceſſe eſt, vt edoceamus quae clariora ſunt, et caput omnium largitionum frumentariarum indicemus. Prima igitur, quod pro certo ſecundum ea, quae adſunt teſtimonia, affir-

mare vellem, facta eſt a M. MARCIO Aedil. pleb. quam PLINIUS *Lib. XVIII. c. III.* notaſſe videtur hac ratione: *M. Marcius, Aedil. pl. primum frumentum populo in modios aſſibus donauit.* Quodſi igitur verum eſt, hunc M. MARCIUM primum Aedilem fuiſſe, verum quoque eſt quod LIPSIUS hanc largitionem nominet primam. Dubium illud quidem eſt, ſed deſunt tamen rationes, quibus contrarium probari poſſit. Nam altero ab Aedilibus creatis anno, gerentibus eum magiſtratum SICINIO et BRUTO, Senatus in ſumma annonae caritate, et pecuniae inopia frumentum, leuiſſimo pretio aeſtimatum, populo diuiſit; ex hoc itaque prior ſententia pro M. MARCIO primo diſtributore maximum, quod tam obſcuris temporibus poteſt, accipit pondus.

§. VI.

Secunda largitio a. U. CCLXXX.

His itaque praeſuppoſitis, Marcianam largitionem primam fuiſſe, ea quae a Senatu biennio poſt facta, ſecunda eſt A. U. nempe CCLXXX. T. GEGANIO MACERINO, et P. MINUCIO *coſſ.* agitatum eſt in Senatu, *quanti frumentum plebi daretur.* Erant, qui partim donandam, partim vendendam putarent, idque plebs exſpectabat; ſed MARCIUS CORIOLANUS, tribuniciae poteſtatis hoſtis acerrimus, qui contra ſentiebat, obiurgando negauit laxandam annonam, cui Senatus frequens, ambitione

atque

atque auaritia corruptus, aſſenſus eſt. Quis enim poterat e plebe iſtum ſuperciliofum hominem ferre, et quis ex Senatu non aſſentiri, cum oratione ardoris plena et temeritatis exſurgeret; *Si annonam,* inquiebat, *veterem volunt, ius priſtinum reddant Patribus. Cur ego plebeios magiſtratus, cur Sicinium potentem video, ſub iugum miſſus, tanquam a latronibus redemtus. Egone has indignitates diutius patiar, quam neceſſe eſt? Tarquinium regem qui non tulerim, Sicinium feram? Secedat nunc, auocet plebem, patet via in Sacrum montem, alioſque colles. Rapiant frumenta ex agris noſtris, quemadmodum tertio anno rapuere. Vtantur annona, quam furore ſuo fecere. Audeo dicere, hoc modo domitos ipſos potius cultores agrorum fore, quam vt armati per ſeceſſionem coli prohibeant.* Quamobrem ei tribuni diem dixerunt. Plebs ira exarſerat, neque erat obſcurum, ſuffragio vlturam dolorem ſuum. Patres igitur, vt MARCIUM eriperent, ſeque ac potentiam ſuam ſartam tectam aduerſus creſcentem in dies plebis impotentiam tuerentur, omni ope atque opera eniſi ſunt. Inter cetera lenimenta factum eſt SCtum, *vt frumentum, et res omnes ad victum neceſſariae tanti eſſent, quanti minimi fuiſſent ante ſeditionem.* Frumentum gratis vt daretur, in tanto diſcrimine a Patribus impetrari non potuit; nec de ea re plebs vnquam laborauit, adeo vt pecuniam acceptam pro frumento Siculo CASSII rogatione ſibi retribui recuſauerit. LIUIUS *Lib. II.* c. XLI.

haec habet: *Caſſius, vt ſibi reconciliaret civium animos, iubet pro Siculo frumento pecuniam acceptam retribui populo. Id vero haud ſecus, quam praeſentem mercedem regni, adſpernata eſt plebs: adeo propter ſuſpicionem inſitam regni, velut abundarent omnia, munera eius in animis hominum reſpuebantur.* Quod vero ipſum SCtum attinet, auctor eſt LIUIUS *Lib. II.* c. XXXIV. et XXXV. *Eo anno*, inquit, *quum et foris quieta omnia a bello eſſent, et domi ſanata diſcordia, aliud multo grauius malum ciuitatem inuaſit.* Caritas primum annonae, ex incultis per ſeceſſionem plebis agris: fames deinde, qualis clauſis ſolet, ventumque ad interitum ſeruitiorum vtique et plebis eſſet, ni conſules prouidiſſent, dimiſſis paſſim ad frumentum coëmendum, non in Etruriam modo dextris ad Oſtia littoribus, laevoque per Volſcos mari usque ad Cumas, ſed quaeſitum in Siciliam quoque. M. MINUCIO deinde et A. SEMPRONIO *coſſ.* magna vis frumenti ex Sicilia aduecta eſt, agitatumque in Senatu, quanti plebi daretur. DIONYSIUS Halic. Lib. VII. T. GEGANIO MACERINO, inquit, et PUBLIO MINUCIO coſſ. *magna annonae caritas vrbem inuaſit, ex ſeceſſione orta.* Plebs enim a patriciis ſeceſſerat poſt aequinoctium autumnale ſub ipſum ſementis initium, agerque per hos motus a colonis deſertus eſt, dum ditiores Senatum et patricios, at mercenarium vulgus plebis partes ſequitur. Qua inopia frumenti cognita, Senatus legationes dimiſit

dimiſit in Etruriam et in Campanos et Pometinos campos, ad coëmenda frumenta quanta poſſent maxima. Cum vero, antequam hoc frumentum aduectum eſſet, ſeceſſiones accederent, non ſtatim diſtributum id eſt, ſed ex ſententia MARCI CORIOLANI aſſeruatum; is enim in oratione ad Senatum habita, teſte DIONYSIO, *commeatus,* inquit, *aſſeruandos cenſeo, nec remittendum quidquam de venalium pretio, ſed quanti vnquam in ſumma caritate venierunt, tantidem et nunc eſſe vendenda: cum iuſtas habeatis occaſiones, et rationes conſentaneas: quia ſcilicet ingrata plebs hanc caritatem, quae propter ipſorum ſeceſſionem accidit, vos machinatos clamitat &c.* Sententiae diuidebantur, et CORIOLANUS inter diſſentientes tumultuantesque patricios maiorem partem nactus eſt; SICINIUS vero ſaepius ad convocatum populum verba fecit, Marcio diem dixit, et pacis conditiones obtulit. Agitatis deinde adhuc vehementer concionibus, eo peruentum eſt, vt damnato MARCIO iudicium plebi concederetur in patricios et poſtea largitio iſta fieret, de qua hic nobis oratio eſt. Scriptoribus hisce accedit PLUTARCHUS *in Coriolano* p. 219. ſeq. edit. Sylburg. ſiue potius Cruſerii et Xylandri.

§. VII.

Tertia largitio a. U. CCCXIV.

Exorta iterum grande fame SP. MAELIUS ex equeſtri ordine, vti LIUIUS refert *Lib. IV.* c.

XIII.

XIII, rem vtilem peſſimo exemplo, peiore conſilio eſt adgreſſus, frumento namque ex Etruria, priuata pecunia per hoſpitum clientiumque miniſteria coemto, quae res ad leuandam publica cura annonam impedimento fuerat, largitiones frumenti facere inſtituit: plebemque hoc munere delinitam quocunque incederet, conſpectus elatusque ſupra modum hominis priuati ſecum trahere. Huius vero conſilia oppreſſit Senatus, et ſextus creatus eſt T. QUINCTIUS CAPITOLINUS conſul, collega additus AGRIPPA MENENIUS, et L. MINUCIUS praefectus, cui prima publica annonae cura oblata eſt, quo Senatus impediret, ne priuatis largitionibus, vti a MAELIO intendebatur, plebs amoueretur ad has, vel illas ſeditiones, priuatis hominibus auctoribus. Hic itaque MINUCIUS eandem publicam curationem agens, quam MAELIUS priuatim agendam ſusceperat, ad Senatum retulit Maelianam ſuſpicionem. Nihil autem conſtat, niſi in libros linteos vtroque anno relatum inter magiſtratus praefecti nomen. PLINIUS adiuuat nos in tanta incertitudine *Lib. XVIII. c. XIII.* MINUCIUS AUGURINUS, inquit, *qui* SP. MAELIUM *arguerat, farris pretium trinis nundinis ad aſſem redegit;* quod praeeunte CONTARENO ita accipiendum eſt, vt L. MINUCIUS frumentum Maelianum, aſſibus in modios venale proponendo, adeo pretium eius imminuit, vt breui tantidem in foro praeſtaret. Aſſentitur LIUIUS *Lib. IV. c. XVI.* Ab hoc igitur

tur tempore, quo L. MINUCIUS primus praefectus annonae factus, omnes frumentariae largitiones ad publicam curationem reuocatae ſunt, ne quis priuatus ſub hac ſpecie imperium aliquod ſibi arrogaret. LIUIUS *Lib. XVII. c. XIII.* SP. MAELIO deinde, iuſſu Dictatoris L. QUINCTII per C. SERUILIUM AHALAM magiſtrum equitum interfecto domum, vt monumento area eſſet oppreſſae nefariae ſpei, dirui extemplo, iuſſit populus, et L. MINUCIUS boue aurato extra portam Trigeminam eſt donatus. LIUIUS *Lib. IV. c. XVI.* Vbi *bouem auratum* corrupti loci legere vult LIPSIUS, quia non perſuadetur, rudi illa aetate ſtatuas fuiſſe auratas, quae multis annis poſt Romae non leguntur, et teſtibus vtitur VALERIO *Lib. II.* et AMMIANO Lib. XIV. qui notant, *ſtatuam auratam nec in vrbe, nec in vlla Italiae parte viſam, priusquam a M. Acilio Glabrione patri poneretur in aede pietatis,* quod fuit a U. DLXII. Codex eius vetuſtus legebat *Minucius bn̄. auro*, quod corrigit *boue et agro*, quod non a veritate plane alienum deprehendo. Neſcio, vtrum PLINIUS *Lib. XXXIV. Hiſt. Nat. cap. V.* idem illud indicare voluerit, dum inquit: *Publio Minucio praefecto annonae extra portam Trigeminam columna vnciaria ſtipe, collata.* Sane voluit in hoc capite de primis ſtatuis diſſerere, ſed quam pugnet cum Liuii auctoritate, ipſe vides; quid vero contra explicationem loci Liuiani hoc teſtimonium efficiat, ex comparatione

ratione auctoritatis VALERII et AMMIANI iudices.

§. VIII.

Quarta largitio a. U. CCCLXV.

Repetitas eſſe ſaepius tales largitiones non alicui mirum eſſe poteſt, cum nonnumquam accideret, vt a colendis agris populus per ſeditiones, bella, ſeceſſiones, et peſtilentiam amoueretur, non vero omnium certa exſtat mentio, aut plane nulla. Ita Manliana largitio, non niſi ex duobus locis colligi poteſt, non quaſi facta eſſet, ſed potius intentata tantum, circa a. U. CCCLXV. LIUIUS *Lib. VI. c. XVII.* refert in accuſatione M. MANLII affectati regni damnati, inter alias voces exprobrantium auditam eſſe M. MANLII gratiam, *ſelibrisne farris gratiam ſeruatori patriae relatam?* qui locus CONTARENO effugit, alium producenti; *vniuerſi ſelibras farris, et quartarias vini ad aedes eius, quae in arce erant, contulerunt.* Sed tam obſcura haec ſunt, et tam ambigua, vt nihil poſſim addere.

§. IX.

Quinta largitio anni incerti.

Alia adhuc TREBII largitio notanda eſt, quae incertior fere priori, cum illam LIUIUS plane praetereat, nec DIONYSIUS attingat, vt ne annum quidem indicare poſſim. Quamquam autem huius largitionis obſcura ſunt tempora, ordo tamen,

tamen, quo commemorantur a PLINIO, et pretii levitas faciunt, hanc ante eas factam, de quibus mox dicam. PLINIUS Lib. XVIII. auctor eſt, quod TREBIUS, ut ſuperiores, populo frumentum aſſibus in modios praeſtiterit.

§. X.

Sexta largitio a U. CCCCLIII.

Aliam adhuc addam largitionem, a nemine, vti ego arbitror, hucusque obſeruatam, a Q. FABIO MAXIMO *Aedil. curul.* factam, T. MANLIO et M. FULVIO PAETO *coſſ.* a. U. CCCCLIII. Eo enim anno ob bellum cum Etruſcis magna premebatur Populus romanus frumenti inopia, vti LIUIUS *Lib. X. c. XI.* narrat. *Caritas etiam annonae*, (praeter curam in Etruſcos et Samnites) inquit, *ſollicitam ciuitatem habuit: ventumque ad inopiae vltimum foret, vt ſcripſere, quibus aedilem fuiſſe eo anno Fabium Maximum placet, ni eius viri cura, qualis in bellicis rebus, multis tempeſtatibus fuerat, talis domi tum in annonae diſpenſatione, praeparando ac conuehendo frumento fuiſſet.*

§. XI.

Septima largitio a. U. DL.

A. U. DL. licet annus incendio inſignis eſſet, et aquarum multitudine, annonae tamen vilitas fuit, cum pace omnis Italia aperta eſſet, potiſſimum haec fuit ratio, quia, vti LIUIUS *Lib. XXX. c. XXVI.*

c. XXVI. teſtis eſt, *magnam vim frumenti ex Hiſpania miſſam* M. VALERIUS FALTO et M. FABIUS BUTEO, *Aediles curules quaternis aeris vicatim populo deſcripſerunt.* Atque ea quidem vilitas, PLINIO teſte, inde orta, quoniam anno ſuperiore, quo Mater Deûm aduecta Romam fuerat, Italia tantam frugum copiam tuliſſet, vt maior ea aeſtate, quam antecedentibus annis decem.

§. XII.

Octaua largitio a. U. DLII.

Biennio poſt et quidem exitu anni U. DLII. L. VALERIUS FLACCUS et L. QUINCTIUS FLAMININUS, *Aediles curules* ingentem vim frumenti, quod ex Africa P. SCIPIO miſerat, quaternis aeris populo cum ſumma fide et gratia diuiſerunt. LIUIUS *Lib. XXXI. c. IV.*

§. XIII.

Nona largitio a. U. DLIII.

Anno inſequenti U. DLIII. Aediles curules, MARCELLUS et PAETUS iterum frumentum dimidio minoris, id eſt, binis aeris diuiſerunt. LIUIUS enim ſcribit *Lib. XXXI. c. L. Annona quoque eo anno peruilis fuit. Frumenti vim magnam ex Africa aduectam aediles curules* M. CLAUDIUS MARCELLUS et SEX. AELIUS PAETUS *binis aeris in modios populo diuiſerunt.*

§. XIV.

§. XIV.

Decima largitio a. U. DLVII.

Anno U. DLVII. Aediles curules M. FULUIUS NOBILIOR et C. FLAMINIUS tritici centum millia binis aeris populo diuiſerunt: id C. FLAMINII honoris cauſſa ipſius patrisque aduexerant Siculi Romam. FLAMINIUS gratiam eius communicauerat cum collega. LIUIUS *Lib. XXXIII. c. XLII.*

§. XV.

Hae ſunt omnes, quas inuenire potui, largitiones, vsque ad Maelianam, priuatae; creato primo praefecto annonae Lucio Minucio, publicae factae, ita, vt criminis attentati regni aliusque ſeditionis accuſaretur is priuatus, qui frumentum plebi, inopia laboranti, diſtribuere vellet. Vnica tantum priuata largitio, Seiana nempe, occurrit adhuc in hiſtoriae romanae ſcriptoribus, de qua vero in ſequenti periodo videamus. Neque ego dubito, quin multae fuerint omiſſae a LIUIO et PLINIO, quarum memoria ſi extaret, haud paulo eſſent hae, quas recenſuimus, clariores atque illuſtriores.

§. XVI.

Diſtributores frumenti.

Cum a priuatis ad magiſtratus tranſirent frumentariae largitiones, ita vt primitus Aediles ple-

 bis,

bis, a U. CCCXIV. vero Aediles curules publicam eius ac perpetuam acciperent curam, hi quoque diſtributores frumenti, auctore LIUIO et PLINIO, videntur fuiſſe. Nunquam enim inueni aliquam ab alio factam eſſe. Hi quoque, cum nunquam certa frumentantium multitudo determinata eſſet, nec frumenti quantitas fixa, ii erant, a quorum arbitrio dependebat, quanti vendere plebi vellent, habita ratione frumenti copiae eiusque pretii, quanti ex prouinciis Romam aduehebatur, vnde quoque euenit, vt pretium auctum, mox imminutum deprehenderetur. Diſtribuebatur frumentum vicatim, vt oleum aliquando LIUIO teſte Lib. XXV. cum ſumma fide et gratia, id eſt, vti ego interpretor, nulla habita, aut proprii, aut amicorum et clientium commodi praecipua ratione, ſed admiſſa plebe vniuerſa ad publicam liberalitatem. LIUIUS Lib. XXXI. c. IV. Nunquam autem praefecti annonae iterum LIUIUS mentionem facit poſt MINUCIUM, vt fere crederem, extraordinarium hoc ſeculo, aut coniunctum cum Aedilitate fuiſſe hoc munus; immo mox vnus, mox vterque Aedilis diſtribuebat, vt in AUGURINA, FABIANA, et TREBIANA largitione. Quapropter neſcio, cur miretur CONTARENUS, quod MARCIUS et TREBIUS ſoli hanc curam geſſerint, nec communicarent gratiam eius cum collega; et adeo ſuſpicetur, hosce largitos eſſe frumentum, aut inconſultis, aut repugnantibus. Sed non ita eſt CONTARENE!

Scimus

Scimus enim AUGURINUM Aedilem curulem ſolum annonae praefectum creatum eſſe, ob ſeditioſam MAELIANAM largitionem, huncque et FABIUM quoque ſolas, non adhibitis collegis ſuis, vt ideo non contra conſuetudinem id factum eſſe cenſeamus; ſed credo ego, ſubſequentibus temporibus cum frequentiores fierent diſtributiones et maiores, vtrumque aedilem eandem ſibi communicaſſe.

§. XVII.

De numero frumentantium.

De numero frumentantium huius ſeculi nihil traditum eſt, ſed potius vniuerſa plebs ad aequas partes admiſſa eſſe videtur. LIUIUS XXXI. c. IV. nec ante legem Grachanam numerus certus determinatus eſt, quod non mirum, cum arbitraria & rara eſſet largitio, et nunc maior, nunc minor frumenti numerus adueheretur. Quod Principum temporibus valde mutatum deprehendo, vbi tenuiores tantum acciperent, ſiue ingenui eſſent, ſiue libertini; ſiue nobiles, ſiue obſcuri.

§. XVIII.

De frumentariis prouinciis.

De frumentariis prouinciis, id eſt, hoc ſeculo iis, vnde frumentum coemebatur, Romamque aduehebatur, id certum eſt, nominari potiſſimum ETRURIAM, AFRICAM, et SICILIAM; nec vsque ad Legem TERENTIAM vlla vectigalis facta eſt,

ſed vsque eo ſumtibus aerarii frumentum coemtum pro pretio viliori diſtribuebatur. Poſtea autem, et praecipue Imperatorum temporibus, variae prouinciae frumentarium canonem quotannis praeſtare debebant, vnde frumentariae vocabantur.

Caput. II.

Viciſſitudines largitionum frumentariarum a Lege Grachana vsque ad Auguſtum Imp. hoc eſt: ab a. U. DCXXX. vsque ad a. U. DCCLI.

§. XIX.

Lex Sempronia.

Ab anno U. DLVII. quo FLAMINIANA facta erat largitio vsque ad C. SEMPRONIUM GRACCHUM a. U. DCXXX. quod ſpatium LXXIII. annorum eſt, nullius largitionis a romanae hiſtoriae ſcriptoribus fit mentio: ex quo tamen nulla ratione concludi poteſt, nullam factam eſſe, quod, ſi ſuſpicari tantummodo quis vellet, incredibile foret. Ego potius diuinari vellem, Aediles curules ſaepius frumentum aduehendum et diſtribuendum curaſſe, ac antea id factum eſt, et adeo vt veri ſimile aſſumerem,

merem, quotannis fere factam eſſe largitionem, hisce rationibus motus: prima, quod non ſolum multitudo ciuium romanorum, et ſimul luxuria et ignauia in agris colendis creſceret, ſed vno verbo omnes rationes adhuc adeſſent, quae antiquitus largitiones ſuaderent, bella nempe, ſeditiones, et aurae populares magiſtratuum: ſecunda, quod iam inde a FABIANA largitione in perpetuam conſuetudinem largitionum curae declinarent, cum anno U. DL. a. DLII. a. DLIII. a. DLVII. repetitae, ſere quotannis eſſent. Quod vero nemo ſcriptor poſteriorum largitionum mentionem faciat, id fortaſſe inde eueniſſe credo, quia largitiones huius temporis ſubſecuti, tamquam res ordinariae non amplius tanta memoria digna cenſerentur. Aſt nihil addam; dininationes tantum ſunt. Ad Grachanam progrediamur. Quae igitur hucusque arbitrariae, non fixis temporibus recurrentes, fuere largitiones, per C. SEMPRONIUM GRACCHUM in ſtatas ac petpetuas frumentationes mutatae ſunt, a. U. DCXXX. primo tribunatu; teſte LIUIO *Epit.* LX. vbi ſic habetur. *C. Grachus trib. pl. pernicioſas aliquas leges tulit, inter quas frumentariam, vt ſemiſſe et triente frumentum plebi daretur.* PLUTARCHUS in *Gracchis:* Τῶν νόμων, ὃς εἰςέφερε τῷ δήμῳ χαριζόμενος, ἦν σιτικὸς, ἐπευωνίζων τοῖς πένησι τὴν ἀγορὰν. *Quas in populi gratiam leges promulgabat, earum vna fuit frumentaria, qua pauperibus frumenti pretium minuebatur.* Quo magis exoſa iſta lex erat patribus,

 et

et aerario pernicioſa, quippe quod exhauriretur tam vili pretio recepto, pro multo maiori ſoluto, eo gratior plebi, vt CICERO in *Sextiana* ſcriberet: *Frumentariam legem C. Gracchus ferebat, repugnabant boni, quod et ab induſtria plebem ad deſidiam auocari putabant, et aerarium exhauriri videbatur.* Idem in *Lib. II. de Officiis*: *C. Gracchi frumentaria magna largitio fuit: exhauriebat igitur aerarium.* Et *Tuſcul. III. effudiſſe maximis largitionibus aerarium dicitur.* Extat quoque apud PRISCIANUM *Lib. III.* orationis C. Gracchi fragmentum; *Aerarium delargitur P. R.* Tam vile quoque pretium a multis tanquam nullum habitum eſt, vt magis donationem appellarent, quam venditionem, quod fecit APPIANUS. de Bell. ciu. Lib. I. pag. 362. cum ſcribit GRACCHUM σιτηρέσιον ἔμμηνον ὁρίσας ἑκάϛῳ τῶν δημοτῶν ἀπο τῶν κοινῶν χρημάτων, ὀυ πρότερον ἐιωθὸς διαδίδοσθαι *Frumentum menſtruum publicâ pecunia coemtum viritim populo conſtituiſſe*, quod nunquam ante factum eſſet. Neque eam ab cauſam erroris accuſandus eſt APPIANUS, vti LIPSIUS fecit. Idem dixit PLINIUS de Marciana largitione, cum proderet M. MARCIUM populo frumentum in modios *aſſibus donaſſe*; et FLORUS *Lib. III. c. XIII. inopem populum vixiſſe*, ait, *ex aerario ſuo*.

§. XX.

Diſtributores.

Vidimus, in poſteriori aeuo Aediles curules poſtremo annonae curam habuiſſe, quod vsque ad

Grac-

Gracchanas largitiones duraſſe veri eſt ſimile; C. GRACCHUS vero hac lege ſua fortaſſe ad tribunos plebis eandem curam reuocauit, cum is tribunus plebis legem rogaret, et ipſe praefuiſſe annonae, aut ſaltem diſtributioni adfuiſſe videtur; idque colligerem ex CICERONIS verbis *Tuſcul III. Piſo ille frugi ſemper contra legem frumentariam dixerat. Is lege lata conſularis ad frumentum accipiendum venerat. Animaduerterat Gracchus in concione Piſonem ſtantem. Quaerit audiente Populo R. qui ſibi conſtet, cum ea lege frumentum petat, quam diſſuaſerat. Nolim, inquit, mea bona, Gracche, tibi viritim diuidere liceat. Sed ſi facies, partem petam.*

§. XXI.

Quibus frumentum diſtribuebatur et numerus frumentantium.

Si PLUTARCHI locum cum Liuiano conferimus, haec comparatio nos credere facit, C. GRACHUM nonniſi tenuioribus et pauperibus ciuibus per legem ſuam frumentum diſtribui voluiſſe, exceptis ditioribus ac ceterarum claſſium, quam proletariorum, cenſis. Imo nobiles, et magiſtratibus functos accepiſſe frumentum ex Ciceroniano loco *Tuscul. III.* ex PISONIS exemplo diuinarer. Poſterioribus temporibus etiam Senatores, libertini accipiebant, non peregrini, niſi prius ciuitate donati fuiſſent. Neque ego negare poſſum, *C. Grachum* numerum certum frumentantium deſcripſiſſe,

 vt

vt potius hoc crederem, ne tam indefinita fieret diſtributio.

§. XXII.

Quantitas frumenti.

Atque id quidem, quod diſtribuebatur, menſtruum erat, ſingulis menſibus diſtribuendum, in quo omnes auctores conſentire credo. Clarius teſtimonio APPIANI habere non poſſumus, qui ſcribit σιτηρέσιον ἔμμηνον ὁρίσαι ἑκάστῳ τῶν δημοτῶν ἀπὸ τῶν κοινῶν χρημάτων. *Frumentum menſtruum publica pecunia coemtum viritim populo conſtituiſſe.* Etiamſi deficerent illorum teſtimonia, quia vetuſtate laborant omnia, ex largitionum modo ſubſequentium temporum id tamen colligendum eſſet, vbi omnes diſtributiones menſtruae erant; nec vllum ego inueni locum, unde ſuſpicari poſſem, idem, quod recentioribus temporibus hac in re obtinuit, olim ſecus fuiſſe. Quantitas vero frumenti & modus, ſecundum legem Gracchanam diſtribui ſoliti, quis fuerit, a me determinari nequit, licet credam, GRACCHUM primum de hiſce rogaſſe. Argumento tamen quodam vtar, quod alii videant, num ſufficiat. Scimus enim per legem Terentiam, de qua infra, repetitam eſſe legem hanc Semproniam, illamque nobis aſſeruatam eſſe per concionem MACRI ad plebem, apud SALLUSTIUM *Lib. III. p. 974. ed. Cort.*, habitam; qui cum largitionem a Senatu tum temporis factam exte-

extenuaret, ſilentio praeteriit, largiorem fuiſſe GRACCHUM, quam patres; quod ſi fuiſſet tribunus ille, certiſſime credo, MACRUM hoc contra patrum largitionem vilem adduxiſſe, cum exilitate huius largitionis impotentiaque patrum in ſtudium tribuniciae poteſtatis exardeſceret. Parem igitur fuiſſe Terentiae et Gracchanae legis modum, (hoc eſt, *quinos modios*) fuiſſe videtur, cum patres ad deliniendam plebem non minus largiri poterant, quam tribunus, nec plus largiri opus illis erat, ſi modo lex Gracchana ad plebis voluntatem reſtaurata fuiſſet. Ego argumentum hocce probare non poſſum, quia omnem ſuam vim amittit, quod idem MACRUS Senatum iniuriatur ob exiguam menſtrui quantitatem, quum inquit, *qua tamen quinis modiis libertatem omnium aeſtimauere*, illudque menſtruum cum alimentis carceris comparat.

§. XXIII.

Frumenti pretium.

De pretii vilitate extat LIUII locus, *ſemiſſibus* nempe *ac trientibus*, ſine dubio in ſingulos modios aeſtimati, quod animaduertendum eſt diligenter, ne quem forte inducant, qui ſemis aeris ac trientibus frumentum datum in modios affirment, aut qui pretium fuiſſe tradunt, ſenos aeris trientes, id eſt, binos aſſes, corrupta ſecuti PAEDIANI exemplaria *in Piſonianam*: aut qui frumentum diſtributum putant plebi vrbanae modo ſemiſſibus, modo

 treſſibus

treſſibus, duplici errore, in quo fuit CHAPMANNUS apud PEARCIUM *ad Cic. Offic.* II. c. XXI. qui corrigit ſemiſſe *aut* triente, interpretaturque de viliſſimo pretio. Nam et ex vno duo faciunt pretia, et ex trientibus treſſes, id eſt, ex tertia aſſis parte tres aſſes; cum reuera frumentum ne aſſe quidem venierit, ſed *ſemiſſe ac triente*, id eſt, *dextante*, ſeu mauis apertius, *decem e duodecim aſſis partibus*. Quid autem cauſſae eſſe dicemus, cur veteres auctores ſemiſſis ac trientis nomina vſurpare, quam dextantis maluerint, cum tamen idem vna hac voce ſignificetur, quod illis duabus? dicerem repetita a veterum conſuetudine, qui cum aere graui vterentur, et *XII. aſſis*, vel quod idem erat, *librae* partes haberent; ſex autem pondera, *unciam*, *ſextantem*, *quadrantem*, *trientem*, *ſemiſſem*, *ac libram*; cum igitur decem erant vnciae expendendae, ſemiſſem ac trientem coniiciebant in lancem. GRACCHUS autem reſpuiſſe videtur partes aſſis minutiores, et lege ſua frumenti pretium in modios non certam ſolum pecuniae ſummam fuiſſe, verum etiam certum nummi genus, ſemiſſes nimirum ac trientes cum dextante non cuderentur. *Jo. Fr.* GRONOUIUS *de Seſtertiis Lib. IV. c. XII. p. 336. ed Lugd. 1691.*

§. XXIV.

Frumentariae prouinciae.

Ex quibusnam prouinciis tantam frumenti copiam C. GRACCHUS deſumſerit, certo dici nequit;

quit; nec ego deprehendo in eam rem teſtimonia, vt inde commouear ad credendum, GRACCHUM retinuiſſe frumentarias prouincias veteres, Etruriam, Africam et Siciliam. Plures poſterioribus, potiſſimum Imperatorum temporibus, acceſſiſſe infra docebimus.

§. XXV.

Viciſſitudines legis Semproniae.

Multis diuerſisque viciſſitudinibus ſubjecta fuit Gracchana lex, vsque ad SYLLAE tempora, nunc abrogata, nunc reſtaurata: Is enim perniciem fecit omnibus legibus tribunitiis, ita, vt ne vmbra quidem legum antiquarum tribuniciaeque poteſtatis remaneret. Non igitur diu obtinuit Gracchana rogatio, vt fere diuinarer, cum eius interfectione quoque ceſſaſſe. Poſtea nonnumquam eo elaboratum fuiſſe a plebeiis magiſtratibus, vt plebi ſalutaris lex reſtauretur, colligendum eſſe puto ex PLUTARCHO *in vita Marii.* Vtrum haec prima mutatio fuerit, vix credo, cum tam pernicioſa patriciis, plebeiis vero exoptatiſſima fuit lex iſta, vt potius arbitrarer, iam plures contigiſſe, quarum tamen memoria extat nulla. Scripſit nempe ille auctor; Νόμου γὰρ εἰσφερομένȣ περὶ σίτȣ τοῖς πολίταις, ἐναντιωθεὶς ἐῤῥωμενέςατα, κάι κρατήσας &c. *Rogatione promulgata de frumento ciuibus diuidendo cum vehementiſſime interceſſiſſet, peruiciſſetque, ne ferretur.* Cum autem ſub C. MARII tribunatu promul-

promulgatam eandem accepimus, hicque munus iniit a. U. DCXXXIII. et continuauit in annum DCXXXIV. circa hosce annos id ſine dubio contigit. Atque vnus ille PLUTARCHUS teſtis eſt, nec adiuuat LIUIUS, in cuius Epitomis hoc, vt alia digna cognitu, praetermiſſum. Nihil ergo eſt, quod addere poſſimus.

§. XXVI.

Fragmentum antiquae legis frumentariae.

Legem frumentariam antiquam tabula aerea ſeruauit, *Mich.* MAITTAIRE in ſeparato libello edidit, *Franc. Carol.* CONRADI explicauit, illuſtrauitque in Parergis pag. 352. Prima inſcriptio graeca in altera tabulae parte, fines agri, Baccho ab Heracleenſibus conſecrati, recenſet, altera latina duo capita habet, de recenſu populi frumentationis cauſa agendo, et de cura viarum in Vrbe muniendarum, Aedilibus commiſſa. Eas tantummodo legis paginas deſcribamus, quae frumentandi cauſa ſcripta ſunt, et ita leguntur.

PROFITEBITUR. NOMEN. ET. EA. QUAE. PROFESSUS. ERIT. ET. QUO. DIE. PROFESSUS. SIT. IN. TABULAS. PUBLICAS. REFERUNDA. CURATO. EADEMQUE. OMNIA. QUAE. VTEIQUE. INTABULAS. RETTULERIT. ITA. INTABULAM. IN. ALBUM. REFERUNDA. IDQUE. APUT. EORUM. ET. QUOM. FRUMENTUM. POPULO. DABITUR. IBEI. VBEI. FRUMENTUM. POPULO. DABITUR. COTTIDIE. MAIOREM. PARTEM. DIEI. PROPOSITUM HABETO. V. D. P. R. L. P.

QUEI-

QUEIQUOMQUE. FRUMENTUM. POPULO. DABUNT. DANDUMUE. CURABIT. NEIQUE. EORUM. QUORUM. NOMINA. H. L. AD. COS. PR. TR. PL. INTABULA. IN. ALBO. PROPOSITA. ERUNT. FRUMENTUM. DATO. NEUE. DARE. IUBETO. NEUE SINITO. QUEI. ADUERSUS. EA. EORUM. QUEI. FRUMENTUM. DEDERIT. IS. IN. TR. M. I. HS. ħ = VNUM SESTERTIUM SIUE IↃ. POPULO DARE DAMNAS. ESTO. EIUSQUE PECUNIAE. QUEI. VOLET. PETITIO. ESTO.

De auctore et anno huius legis nihil certi habere poſſumus praeter id, quod poſt Semproniam lata ſit, cum id ex indole ſrumentationis eius temporis non dubie colligi debeat.

Vtrum potius ab ipſo C. Sempronio Gracho lata fuerit credere poſſes, ſi ex collatione ſecundae et primae legis partis colligeres, cum PLUTARCHUS quoque *in Grachis* p. 836. refert, eundem leges rogaſſe de viis muniendis atque in hoc opere perficiendo non minorem collocaſſe curam, quam impenſam, dum ornatum cum vtilitate coniungere ſtuderet. Imo aetati huic vel ipſe ſcripturae et ſermonis habitum reſpondere credit CONRADI, et ex comparatione cum legis Thoriae fragmentis, a Sigonio de Ant. Jur. Ital. Lib. II. c. 2. editis apparere. Neque ego contrarius huic opinioni eſſe poſſum, licet §. XLVIII. affirmem, Caeſaris demum temporibus recenſus modum definitum eſſe, cum bene ſciam, quam variis viciſſitudinibus leges Gracchanae obnoxiae fuerint, quotannis fere abolitae, et iterum reſtauratae. Initium

itaque

itaque publicae profeſſionis atque recenſus feciſſe videtur Gracchus, Caeſar reſtauraſſe.

§. XXVII.

Lex Apuleia.

Ad aliam igitur pergamus rogationem, quam ferre conatus eſt L. APULEIUS SATURNINUS a. U. DCLIII. Eius ferendae occaſio erat teſte CICERONE *in oratione pro Sextio et de Haruſp. reſponſis*, quod SATURNINUS antea a Senatu ignominia adfectus eſſet, cum in annonae caritate Quaeſtor Oſtienſis a ſua frumentaria procuratione amotus, eique rei M. SCAURUS praefectus erat, quam delendam arbitratus forte eſt, per frumentariam hanc rogationem. Maxime vero ei ſe oppoſuit Quaeſtor vrbanus CAEPIO, qui Senatum docuit, aerarium tantam ferre non poſſe largitionem, vti eſt apud CICERONEM *ad Herenn.* I. c. XII. vnde commoti ſunt quidam, vt crederent, non perlatam eſſe hanc legem; ſed ego quidem arbitror, non ſufficere eam rationem, quod ſeſe oppoſuerit CAEPIO: quam multae enim perlatae ſunt leges, quae ex maximis diſſidiis et contentionibus extrahebantur. Neque etiam dubium exinde moueri poterit, quod CICERO vnicus in eam rem teſtis ſit, et in exemplis tantum retulerit; nonne enim conſtat, ſcriptorem exempla ex hiſtoriis haurire ſolitum eſſe? neque etiam vnicus eſt, ſed non leuiter illi ſuffragatur FLORUS Lib. III. c. XVI. quippe qui teſtatum

teſtatum reliquit, *Saturninum Gracchanas leges aſſeruiſſe*, et iterum rogandis Gracchorum legibus vehementer incubuiſſe. Ipſe quoque CICERO non ſemel in factam SATURNINI rogationem teſtis eſt, cum in *Lib. II. de Legib.* cap. VI. iterum eius memoriam inter alias Saturninianas leges aſſeruauit.

§. XXVIII.

Lex Liuia.

Per integros nouem annos frumentariae cauſae, aut fere neglectae erant, aut memoria nulla nobis relicta eſt; quod poſterius credere malim. FLORUS *Epit. LXXI.* auctor nobis eſt, M. LIUIUM DRUSUM tribunatu ſuſcepto pro auctoritate Senatus, vt plebem in partes Optimatium adduceret a. U. DCLXII. Semproniam frumentationem reuocaſſe; eaque vere delata eſt, licet dubitent quidam, ſi modo inſpiciant *Epit. LXXI.* vbi ſic habetur: *M. Liuius Druſus trib. pleb. vt maioribus viribus ſenatus cauſam ſuſceptam tueretur, ſocios et Italicos populos, ſpe ciuitatis Romanae ſollicitauit: iisque adiuuantibus per vim legibus Agrariis frumentariisque latis iudiciariam quoque pertulit.* FLORUS *Lib. III. c. XVII.* CICERO *in indice legum Lib. II. de Legib. c. VI.* ASCONIUS *in Cornelianam.* Inuiſo Senatui facto DRUSO, velut belli ſocialis auctore, quoniam fides ſociis data non ſeruata fuerat, domique occiſo, Gracchana reſtauratio euanuit. Abrogabatur enim eodem, quo DRUSUS interfectus, anno a PHILIP-

PO

PO conſule, quem pro tali facto tribunitius viator faucibus apprehenſum non ante dimiſerat, quam ſanguis in ora atque in oculos redundaret; immo et fere in perpetuum abrogata eſt, per bella ciuilia innumera, quae ſociale iſtud exceperunt, tamque populum romanum exercuerunt, vt ne injecta quidem fuerit a tribunis mentio vllius largitionis.

§. XXIX.

De diſtributoribus, frumentantibus, modo frumenti et pretio.

Cetera, quae de diſtributoribus, de numero frumentantium, de modo frumenti, atque de pretio ad L. Gracchanam diximus, ea omnia retenta eſſe ab APPULEIO et DRUSO, nullus dubito, imo nec magis a veritate recedit, quam certum eſt, legem Semproniam eos reuocare conatos eſſe.

§. XXX.

Syllana abrogatio legum frumentariarum.

Non multo poſt, quicquid auctoritatis erat tribunis et in ferendis legibus poteſtatis, ademit SYLLA; extinctaeque ſunt turbarum et ſeditionum faces, quae tamen a. U. DCLXXV. quum obiret, reuiuixere, cum plebs tribunitiae poteſtatis reſtitutionem vehementer expoſceret. Quae res per multos annos fruſtra iactata erat, conſulibus ſtrenue tuentibus SCtum, quo acta SYLLAE confirmabantur, contra plebe ſumma vi pugnante, ne

ſpoliata

ſpoliata praeſidio tribunicio potentum libidini eſſet expoſita. Optime hocce intelligere poteris ex oratione MACRI LICINII (non M. LEPIDI vti pleraeque edd. habent, ſed auctoritatem A. POPMAE ſecutus eſt CORTIUS p. 967.) Trib. pl. ad plebem pro tribunicia poteſtate reſtituenda habita CASSIO VARO et M. LUCULLO coſſ. a U. DCLXXX. *Si Quirites*, inquit, *paruum exiſtimaretis, quod inter ius a maioribus relictum vobis, et hoc a Sulla paratum ſeruitium intereſſet; multis mihi diſſerendum fuit, docendumque, quae ob iniurias, et quotiens a patribus armata plebs ſeceſſiſſet, vtique vindices parauiſſet omnis iuris ſui tribunos plebis. Nunc hortari modo reliquum eſt, et ire primum via, qua capeſſundam arbitror libertatem &c.* Usque ad annum DCLXXX. eſt obuium itum omnibus plebis conatibus, quo anno tanto impetu coorta eſt plebs in patres, vt ſuſtineri amplius non poſſet, et conditiones variae inierentur, quo ſedarent populum vsque ad annum DCLXXXIII. quo reſtituta eſt CN. POMPEIO, et M. CRASSO coſſ. tribunicia poteſtas, et redditi tribuni plebis, quorum primus denuo creatus mihi videtur MACRUS ille LICINIUS; Et ab hinc quoque nouae frumentariae largitiones atque leges. CICERO *Lib. III. de Legib.* ait, *Pompeium noſtrum ceteris rebus omnibus ſemper ampliſſimis ſummiſque effero laudibus: de tribunicia poteſtate taceo: nec enim reprehendere licet, nec laudare poſſum.* LIUIUS *Epit. XCVII.* PLUTARCHUS *in Pompeio* SALUSTIUS *in Catilina.*

§. XXXI.

Lex Terentia et Caſſia.

Atque neceſſe quidem erat conſulibus anni DCLXXXI. C. CASSIO et M. TERENTIO LUCULLO, vt plebem delinirent, et ad rem integram in aduentum POMPEII (qui in Hiſpania bellum gerebat cum SERTORIO) reiiciendam, ſi poſſent, adducere frumentariam legem eamque ferre, quam Terentiam et Caſſiam veteres, Terentiam vno nomine CICERO contentus, vocant. Caput eius inuenio apud CICERONEM *Lib. III. in Verrem; Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex SCto et ex lege Terentia. Emundi duo genera fuerunt: vnum certarum decumarum; alterum, quod praeterea ciuitatibus aequaliter eſſet diſtributum. Illius decumani tantum, quantum ex primis decumis fuiſſet; huius imperati, tritici modium DCCC. M.* Aliud iſtius legis caput extat in MACRI LICINII concione apud SALLUSTIUM *Lib. III. p. 973 ed. Cortii. Niſi forte,* inquit, *repentina iſta frumentaria lege munia penſantur, qua tamen, quinis modiis libertatem omnium aeſtimauere, qui profecto non amplius proſunt alimentis carceris. Namque, vt illorum exiguitate mors prohibetur et feneſcunt vires: ſic neque abſolui cura familiari tam parua res poteſt, et ignauus quisque tenuiſſima ſpe fruſtratur.* Eſſe eandem hanc legem, de qua CICERO teſtatur, ex eo veri eſt ſimile, quod nullius extra hanc legis frumentariae eo anno latae mentio fit a veteribus

ſcrip-

ſcriptoribus, et quod MACRUS eo ipſo anno, quo perlata eſt lex TERENTIA, tribunatum plebis geſſit. Volunt alii legem TERENTIAM et CASSIAM non plane nouam legem eſſe, ſed tantum repetitam SEMPRONIAM, cuius ſumma retenta, in TERENTIA quaedam addita, aut mutata eſſe; idque colligunt, vti ERNESTI V. C. fecit, ex ceteris rebus, de quibus aliquoties ad populum latum, tamquam de ambitu, de repetundis, vbi ſemper ſumma primae in eo genere legis ſeruata eſt, nempe vt agi in hominem poſſet, vt poena eſſet crimini conſtituta; cetera autem de perſonis, de modo iudicii, de genere poenae, mutata ſunt. Quod lubenter concedam, ſed de eo adhuc ambigo, vtrum amplius quid ex L. SEMPRONIA ſeruatum ſit, quam largitio frumentaria plebi facienda, quae proprie ſumma iſtius legis vocanda eſſet. Sicuti igitur concludere non poſſumus a modiorum facta mentione in lege TERENTIA, idem menſtruum fuiſſe in lege SEMPRONIA, ita nec contra concludi poteſt, idem Semproniae largitionis pretium in Terentia retentum eſſe.

§. XXXII.

An perlata ſit?

Dubitauit adhuc LIPSIUS, vtrum lex haec perlata fuerit, ſed vti vides absque ratione. CONTARENUS eandem temporariam fuiſſe autumat, quoniam in *Cn.* POMPEII aduentum dilata eſſent

omnia; eoque reuerſo, et reſtitutis in integrum tribunis, ſuperuacaneam fuiſſe legem iſtam. Sed non perſpicio, quomodo hoc ſequatur. Modus concludendi, quo CONTARENUS vtitur, hic eſt: *Lex* TERENTIA *non fuit, niſi remedium deliniendae plebis, usque ad Pompeii aduentum; hoc igitur reuerſo non amplius opus erat iſto remedio; ideoque euanuit legis frumentariae vis et obſeruatio.* Aſt falſum id mihi videtur ſuppoſitum eſſe, quod leges frumentariae remedia placandae plebis tantum fuerint. Concedo equidem ex accidenti talia media fuiſſe, vti nonnumquam etiam media fuere adipiſcendae auctoritatis et gratiae apud plebem; vera tamen et neceſſaria ratio illarum ferendarum erat frumenti inopia, quod tota prior tractatio probat, omniaque antiquitatis documenta. Cum autem exiſtente tali inopia, eius cauſam in Senatu quaereret populus, ſeditiones ortae, quae placari aliter non poterant, niſi per frumentarias hasce largitiones. Sed quid verba amplius facimus? res certa eſt ex CICERONE *orat. frument. in Verrem III. c. LXX.*

§. XXXIII.

Quantitas largitionis.

Quod igitur quantitatem menſtrui ac pretii, pro eo ſoluendi attinet, non omnia ſatis certa ſunt, niſi volueris diuinationi locum facere, praeter cetera, quae certa ſunt. Atque ex MACRI

concione

concione certum quidem eſt, quinorum modiorum menſtruum fuiſſe, quod diſtribuebatur, cum his verbis locutus erat: *Niſi forte repentina iſta frumentaria lege munia veſtra penſantur, qua tamen quinis modiis libertatem omnium aeſtimauere.* *Senos* fuiſſe LIPSIUS absque omni adducta ratione contendit, contrarius aperte SALLUSTIO; cui tamen dicam iam ſcripſit CONTARENUS. Haec certa: incertum tamen, vtrum gratis, an accepta pecunia. Equidem credo, *iisdem ſemiſſibus ac trientibus* populo venditos eſſe ſingulos modios, ac lege SEMPRONIA. Cum enim plebs Gracchanae legis renouationem vehementer peteret, eamque reſtaurandam cogeretur Senatus, non ſimile eſt veri, neque gratis, neque maioris pretii ac legis Gracchanae erat, diſtributum eſſe frumentum. Non gratis, quia id plane non a plebe poſtulabatur, neque etiam maioris pretii veniiſſe frumentum videtur, quia tum non potuiſſet Senatus plebem delinire, qui reſtitutionem tribuniciae poteſtatis, legumque tribuniciarum reſtitutionem expoſceret, vt adeo non neceſſe haberet Senatus, vt vilioris pretii frumentum venderet. Ceterum notabilis locus eſt hic SALUSTII, quia quinorum illorum modiorum largitionem cum alimentis carceris comparat, quippe quae non maiora eſſent, et quia libertatem hisce quinis modiis aeſtimari dixit. Quodſi locus hic cum DEMOSTHENIS *ex Olynthiaca* III. conferatur, videbis procul dubio, illum ex hoc hauſtum eſſe.

Ibi enim ſummus orator θεωρικὰ χρήματα, hoc eſt, eas pecunias, quae domi ex aerario erogabantur, exiguntur ab iis qui ſpectaturi veniunt in theatrum, cibis iis ait ſimiles eſſe, qui aegris a medico miniſtrari ſolent; vt enim hi nec robur addunt inualido corpori, nec emori ſinunt; ſic illas pecunias nec ſufficere ad vitam tolerandam, et ſegnitiei atque inertiae ſegetem eſſe. ἴσως ἂν τῶν τοιούτων λημμάτων ἀπαλλαγείητε, ἃ τοῖς ἀσθενοῦσι παρὰ τῶν ἰατρῶν σιτίοις διδομένοις ἔοικε. Καὶ γὰρ ὅτε ἰσχὺν ἐκεῖνα ἐντίθησιν, οὔτε τοσαῦτά ἐςιν, ὥςε ὠφέλειαν ἔχειν τινὰ διαρκῆ, οὔτε ἀπογνόντας ἄλλοτι πράττειν ἐᾷ. ἀλλ᾽ ἔςι ταῦτα τὴν ἑκάςȣ ῥαθυμίαν ὑμῶν ἐπαυξάνοντα. *Fortaſſe huiusmodi lucra miſſa feciſſetis, quae cibos referunt a medico aegris praeſcriptos. Neque enim illi validos reddunt, neque mortem obire ſinunt. Haec item, quae nunc vobis diſtribuuntur, neque tanta ſunt, ſatis vt proſint, neque aliud agere hac ſpe abjecta ſinunt quin vnius cujusque veſtrum ignauiam auctum eunt.* Deinde etiam ſeruilia alimenta iſtos quinos modios vocauit MACRUS, et cum alimentis carceris comparauit, quippe quae tam exigua fuiſſe videntur, vt ex DIONIS *Lib. LVIII.* cognoſco, qui ASINIO GALLO iuſſu TIBENI in publica cuſtodia retento talem cibum miniſtratum fuiſſe tradit his verbis; τροφῇ τοιαύτῃ καὶ τοσαύτῃ, ὥςε μήτε τινὰ ἡδονὴν καὶ ῥώμην αὐτῷ παρασχεῖν, μήτε ἀποθνήσκειν αὐτὸν ἐᾶν.

Cibus

Cibus talis ac tantus, vt voluptatem aut robur afferret nullum, mori autem prohiberet. Vide quoque SENECAM patrem *Lib. IX. Controv.* IV. qui *diaria carceris* ea alimenta vocat. Et SENECAM *in Epiſt.* LXXXI. Ille qui in ſcena elatus incedit, et haec reſupinus dicit,

> *Imperito Argis, regna mihi liquit Pelops*
> *Qua ponto ab Helles atque ab Jonio mari*
> *Vrgetur Iſthmos* —

ſeruus eſt, quinque modios accipit, et quinque denarios. Teſtimonia haecce dabant quoque rationem corrigendi locum Salluſtianum, vbi ex vetere codice legebatur: *qua tamen qui his modis libertatem omnium aeſtimauere.*

§. XXXIV.

Diſtributores.

Olim, pulſis Regibus, Senatum, deinde Curules Aediles, vsque ad Legem GRACCHANEM, poſt hanc vero tribunos plebis publicae annonae curam geſſiſſe, ſupra iam monuimus; Poſt legem noſtram TERENTIAM vero Praetorem illius procurationem habuiſſe, *ex Verrinis* CICERONIS ſatis liquet, non multo poſt, aut adeo primum fuiſſe Praetorem VERREM, qui frumenti curam gereret; certe id fecit a. U. DCLXXX. quo L. TERENTIA perlata erat, quod intelligere credo ex *Verrina tertia.* Ex PAEDIANI quoque *argumento in Cornelianam* id conſtat, vbi legimus: *Detulit nomen* (C. CORNELII)

PUBLIUS; *ſubſcripſit* CAIUS; *et cum* L. CASSIUS *Praetor decimo die, vt mos eſt, adeſſe iuſſiſſet, eoque die ipſe non aſſuiſſet, ſeu auocatus propter publici frumenti curam, ſeu gratificans reo &c.* L. CASSIUS hic praetor fuit M. LEPIDO et L. VOLCATIO *coſſ.* a. U. DCLXXXVII. ſeptennio igitur poſt latam legem TERENTIAM, vt itaque exinde, quidam ſint, qui argumentum ſumant, legem TERENTIAM non fuiſſe temporariam; de quo vide quae iam diximus ad §. XXXII. Ego non vtar iſto argumento, quia leue plane deprehendo, cum extraordinaria cura Praetoris CASSII eius anni eſſe potuerit, alio firmiori iam ſuffultus: neque etiam probare poſſum argumentum CONTARENI, quod ad ſuſpicionem quidem aliquid fecit, nihil vero ad certitudinem. *Venit mihi in mentem*, inquit, *ſuſpicari, ſi Aediles curules frumentaria procuratione altera harum legum ſoluti ſunt, Terentia potius, quam Sempronia ſolutas. Nam Gracchum infenſum patribus, quis crederet gratiam eius legis, quae reddere plebem ſibi obnoxiam parabat, cum Praetore communicaſſe? Terentium contra veri admodum ſimile eſt, aucto mirum in modum lege ſua numero frumenti Vrbi inferendi, eiusque largitione reuocata, maiorem magiſtratum ei curationi praeficiendum putaſſe, non ſolum vt prouinciam hanc adminiſtraret maiore auctoritate, verum etiam vt eſſet in poteſtate Senatus.* Sed contenti eſſe debemus ſuſpicionibus in tanta vetuſtate rerum.

§. XXXV.

§. XXXV.

De his, quibus frumentum diſtribuebatur.

Ciues fuiſſe omnes, quibus frumentum dabatur vendebaturque tam vili pretio ſupra iam attulimus, neque peregrini admittebantur, niſi antea ciuitate donati eſſent. Atque ex hiſce tenuiorum miſeraeque plebeculae rationem habitam fuiſſe, iisdem teſtibus etiam in hoc aeuo affirmari poteſt, quibus ſupra vſi ſumus; PERSIUS et SENECA teſtes ſunt; apud hunc legitur *Lib. XXXIX. Erant, quae Pompeium in diſtributione frumenti morarentur. Multis enim propter ſpem, quam de ſe excitarat manumiſſis, vt recte atque ordine acciperent, recenſum eorum facere inſtituerat.* PERSIUS frumentariam largitionem manumiſſionum cauſſas fuiſſe non ſolum teſtis eſt, ſed etiam libertos id cepiſſe ſimul liquet; *Satyra V.*

Libertate opus eſt, non hoc, qua vt quisque Velina,
Publius emeruit, ſcabroſum teſſerula far
Poſſidet.

Quod vero numerum frumentantium attinet, nihil lege TERENTIA ſancitum eſſe videtur, nec prius quam Imperatorum aeuo quicquam huius generis determinatum eſſe videtur.

§. XXXVI.

De numero frumentantium.

Vti in legibus APULEIA et LIUIA de numero eorum, qui frumentum acciperent nihil determina-

tum eſſe ſuſpicamur, ita frumentantium numerus lege TERENTIA non certior eſt, nec veſtigia deprehenduntur, niſi leuiter impreſſa apud PLINIUM *Lib. XXXIX.* qui de POMPEIO teſtatur his verbis: POMPEIUS, *vt recte atque ordine acciperent, recenſum eorum facere inſtituerat.* Et apud CICERONEM *in Verr. III. Imperas*, inquit, *vt decumas accipiant; Apronio dent lucri tritici medimnum XXXIV Millia. Quid eſt hoc? Vna ciuitas ex vno agro plebis romanae prope menſtrua cibaria donare* APRONIO *cogitur?* Primus iſta veſtigia deprehendit CONTARENUS, cuius verba hic adſcribere malo, quam meam ſententiam proferre. *Imminuit orator modum frumenti ad crimen augendum, nos eum amplificemus, et producamus vel ad L. millia medimnum: qua ratione fiet ad illum tertiae circiter partis acceſſio, adeo non leuis, vt fortaſſe ne orator quidem tantum detrahere ſit auſus, cum verſaretur in re omnibus nota et aperta, Erunt igitur menſtrua modium Romanorum CCC. M. quae ſufficiunt hominum LX. millibus alendis, vt modus frumenti fuerint modii quini. Aut igitur haec ipſa, aut circiter tanta, mea quidem ſententia, non maior hominum multitudo lege* TERENTIA *publicum frumentum accepit.* Difficile tibi forſan erit perſpectu, quomodo iſte numerus ex tam obſcuro loco erui poſſit, ſed adeas ipſum CONTARENUM, quem totum adſcribendum hic curarem, niſi iuſto longior eſſet. Mea quidem ſententia omnes iſtae non niſi coniecturae ſunt, leuiſſimis rationibus ſuffultae,

nec

nec ſufficiunt ad opinionem, numerum iſtum LX. M. hominum, per legem TERENTIAM fuiſſe definitum frumentantium; licet non negem ea, quae CICERO dixit, ſe referre quodammodo ad legem TERENTIAM, imo et ad SCtum ante hanc factum; quia VERRES ſecundum has leges curam frumenti publici gerere debebat, ſed fraudes ingentes et furta fecit, ob quae a CICERONE vehementer accuſatur.

§. XXXVII.

Frumentariae Prouinciae.


Ex Sicilia, Africa, Sardinia, Hiſpania, Boeotia, Macedonia, Cherſoneſo, Aſia et Syria hiſce temporibus frumentum omne Romam aduectum fuiſſe, omnes teſtantur Graeci et Latini rerum Romanarum ſcriptores. VARRO *de Re Ruſtica.* LIUIUS multis locis. PLINIUS *Lib. XVIII. c. VII.* CICERO *ad Attic. Lib. XV. Epiſt. IX. et X.* Idemque *in Verrem et Oratione pro lege Manilia;* omnes vero tria praecipue celebrant reipublicae ſubſidia, Siciliam, Africam, Aegyptum. CICERO *in Verrem* III. c. LXX. de Sicilia frumentaria prouincia teſtatur, quem locum hic adſcribendum puto, quoniam nonnulla monenda ſunt. *Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex SCto et ex lege Terentia et Caſſia frumentaria. Emundi duo genera fuerunt, vnum certarum decumarum: alterum, quod praeterea ciuitatibus aequaliter eſſet diſtributum. Illius decumani*

tantum

tantum, quantum ex primis decumis fuiſſet; huius imperati, tritici modium DCCC. millia. *Primùm* videri tibi poſſet, ſecundum TERENTIAM legem ex ſola Sicilia exportandum fuiſſe frumentum omne; non ego tamen aſſentiri poſſum, ſed potius arbitror, vnum modo caput legis id fuiſſe, et ex aliis prouinciis quoque deſumtum eſſe frumentum, vt itaque non tamquam priuilegium Siciliae conceſſum hoc ſpectare poſſim, quia contraria adſunt multorum teſtimonia. Secundo declarandum hic eſt, quid *prouinciae decumae* ſibi velint? *Decumae* proprie decimam fructuum partem ſignificant, de quibus CICERO *in Verrem* ait, *ager vectigalis Populi Romani ex parte decima.* Item *omnis Siciliae ager decumanus eſt.* *Prouincia decumana* igitur eſt ea, quae a fructibus decimam partem praeſtare debet. Talis Sicilia erat, in qua ſingula iugera ſingula medimna ſoluebant. Frumenti autem, quod ex prouinciis extrahebatur, tria genera fuerunt, *decumanum, et aeſtimatum.* *Emtum*, quod aratores vendere, accepto ex SCto et forte etiam lege TERENTIA pretio, cogebantur, ad alendum Romae populum. CICERO *in Verren* III. c. LXX. *Aeſtimatum*, quod aeſtimabat magiſtratus in cellam ſuam in vſum familiae, cum interdum pro frumento pecuniam acciperet. CICERO *Verrin: III. c. LXXV. retines H. — S. XVIII. tanti enim eſt frumentum Sicilienſe ex lege aeſtimatum.* *Emtum* frumentum duplex fuit, *vnum decumanum*, quod ex alteris

item

item decimis, pretio perſoluto aliquando accipiebatur. LIVIUS *Lib. XXXVII.*: *Alterum imperatum*, quod praeter duas decumas aequaliter omnibus ciuitatibus pretio item ſoluto imperabatur, vt ASCONIUS *in Cic. in Verrem V. Decumae in Sicilia lege et conſuetudine trahuntur: alterae nouis inſtitutis propter annonae rationem imperantur.* TACITUS, *prouinciales*, inquit, *emere frumenta et vendere cogebantur, diuortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur, vt ciuitates a propinquis hybernis in remota et auia deferrent.* Numus argenteus extat, PISONIS et CAEPIONIS, in quo cernuntur duo viri inter ſpicas ſedentes, cum inſcriptione: *ad frumentum emundum ex SCto.*



Ex hiſce igitur intelliges, quomodo inuehere in VERREM poſſet CICERO, cum ille nefarius homo tria medimna a Siculis exegit; pecuniam ex aerario inopi et exhauſto datam accepit, vt Siculis oratoribus exſolueretur, ſed omnem pecuniam iſtam in domum ſuam auertit. CICERO *Verr.* V. Plurima ad hanc rem notauit *Julius Caeſar* BULENGERUS *in tract. de tributis ac vectigalibus populi romani;*

romani; qui extat in Theſauro Graeuiano Tom. VIII. pag. 824 - 920.

§. XXXVIII.

SCtum frumenti cauſa in CATONIS *ſententiam factum.*

Poſt aliquot annos et quidem a. U. DCXCI. SCtum factum eſt in CATONIS ſententiam, quum C. CAESAREM metuerent Patres, quem in praetura nouis rebus ſtudere videbant, et plebem ſollicitare. Suadebat ſcilicet CATO, vt repente obuiam irent CAESARIS conatibus, et largitione frumentaria vterentur ad conferendas in tranquillum turbas, tamquam remedio, ex quo ſuperioribus annis magnum respublica cepiſſet fructum. PLUTARCHUS *hoc prodit in Caeſaris vita.* Κάτων τον δῆμον ὑπὸ Καίσαρος ὁρῶν ἐν τοῖς περὶ Κατιλίναν διὰ ταρασσόμενον, καὶ πρὸς μεταβολὴν τῆς πολιτείας ἐπισφαλῶ ἔχοντα, συνέπεισε την βȣλὴν ψηφίσθαι νεμήσεις τοῖς πένησιν, καὶ τȣ̃το δοθὲν ἔσησε τον θόρυβον, καὶ κατέπαυσε τὴν ἐπανάσασιν. hoc eſt: *Cato Catilinariae coniurationis temporibus cum videret eſſe periculum, ne plebs a Caeſare ſollicitata ad mutandam Reip. formam prolaberetur, perſuaſit Patribus, vt S. C. fieret de frumento tenuioribus diſtribuendo, idque diſtributum omnem ſedauit tumultum et ſeditionem repreſſit.* IDEM *in Catone,* ὁ Κάτων ἔπεισε τὴν βȣλὴν ἀναλαβεῖν τον ἄπορον καὶ ἀνέμητον ὄχλον

εἰς

εἰς τὸ σιτηρέσιον, ἀνάλωμα͵ος μὲν ὄντος ἐνιαυτοῦ χιλίων καὶ διακοσίων καὶ πεντήκοντα ταλάντων. Περιφανῶς δὲ τῇ φιλανθρωπίᾳ ταύτῃ καὶ χάριτι τῆς ἀπειλῆς ἐκείνης διαλυθείσης &c. *Cato perſuaſit Senatui, vt pauperum turbae largitionis experti denuo frumentum daret. Annuus ſumtus erat ille quidem talentum M. DL. Sed hac humanitate et beneficio minis illis aperte diſcuſſis* &c. Et idem *in Caeſaris vita.* Κάτων φοβηθεὶς μάλιστα τὸν ἐκ τῶν ἀπόρων νεωτερισμὸν, οἵ τοῦ παντὸς ὑπέκκαυμα πλήθους ἦσαν ἐν τῷ Καίσαρι τας ἐλπίδας ἔχοντες, ἔπεισε τὴν σύγκλητον ἀπονεῖμαι σιτηρέσιον αὐτοῖς ἔμμηνον. ἐξ οὗ δαπάνης μὲν ἑπτακόσιαι πεντήκοντα μυριάδες προσεγίνοντο τοῖς ἄλλοις ἀναλώμασιν τὸν μέντοι μέγαν ἐν τῷ παρόντι φόβον ἔσβεσεν περιφανῶς το πολίτευμα τοῦτο, καὶ το πλεῖστον ἀπέρρηξεν της Καίσαρος δυνάμεως. *Cato metuens maiorem in modum, ne tenuis, ac ieiuna plebecula, quae collocata in Caeſare ſpe, reliquae multitudini ſubdebat faces, qui moliretur noui; perſuaſit Senatui, vt menſtruum illi frumentum diſtribueret. Quae acceſſio fuit ſeptingentorum quinquaginta myriadum* (*ſiue ſeſtertium trecenties*) *ad reliquos ſumtus. Eo conſilio magnus, qui tum omnes inuaſerat, metus aperte ſublatus eſt, plurimumque de Caeſaris potentia detractum.* Ex hoc poſteriori loco colligendum eſſe puto, tum temporis, quo CATO ad Senatum verba faceret, nullas factas fuiſſe largitiones, potiſſimum ex

eo,

eo, quod ſumtum in eam factum non iis impenſis acceſſiſſe dicit, quae antea fierent in frumentum, quibuscum ſi vlla fuiſſet largitio, conferendae erant: ſed τοῖς ἄλλοις ἀναλώμασιν, id eſt, reliquis ſumtibus, qui neceſſario fiebant in republica. In verbo quoque ἀναλαβεῖν *intermiſſae* ac *repetitae* rei ſignificatio eſt. Quod facile crediderim, cum hisce temporibus largitiones legesque frumentariae non adhiberentur, niſi placandae plebis cauſa, ideoque vtplurimum extra ordinem factae. Exinde tamen non ſequitur, omnes illas leges frumentarias, et eam quoque ob cauſam legem TERENTIAM etiam, temporarias fuiſſe. Quomodo enim poſſet CICERO *frumentaria in Verrem* inuehere, eumque arguere, quod non ex SCTO et L. TERENTIA frumenti curam gefferit. *Lib. III.* c. LXX. Nouam vero hanc in CATONIS ſententiam factam legem, annuam fuiſſe ſuſpicari quis poſſet, quia praetore CAESARE tantum immineret reipublicae periculum, ne ſe plebi, rerum nouarum auidae, in tanta poteſtate ſeditionis ducem praeberet. At ex praetura vlteriorem Hiſpaniam ſortitus, profectus eſt, teſte SUETONIO c. XVIII. vt in vrbe turbare abſens nihil potuerit eo anno. Contra vero diuturnam hanc legem fuiſſe, PLUTARCHUS indicare videtur, qui ſumtum fuiſſe ſcribit ἐνιαύσιον *anniuerſarium* et factum, vt ipſemet interpretatur, ἐνιαυτοῦ, quotannis. CICERO *ad Atticum II.* *Ep.*

Ep. XIX. ſignificare quoque videtur, legem noſtram vsque ad CLODIAM obſeruatam eſſe, dum narrat, ludis Apollinaribus Curioni filio, in theatrum venienti, cum ita plauſum eſſet, vt ſalua republica ferret id Caeſar grauiter, fuiſſe, qui eam ob cauſam *Roſciae* legi etiam *frumentariae* minitarentur. Mirum tibi non ſit, quod de SCto hoc tamquam de lege loquimur, et CICERONIS teſtimonia de lege frumentaria, iis temporibus valente, ad SCtum hoc trahimus; ſaepius enim SCta vocantur leges. Quodſi vero aliam legem poſt SCtum, ante tamen CLODIAM legem, ex hiſce documentis cognoſcere velis, ego nulla ex ratione prohibere id poſſum, quam quod eo in caſu mirer ceterorum omnium ſcriptorum ſilentium. Tuae quoque tantum coniecturae ſunt. Sed aliae adhuc coniecturae contra te ſunt, eae nempe, quod non iſta Senatui leuitas eſſe potuerit in decernenda largitione, ad prohibenda CAESARIS molimina, qui tamen ſemper metuendus erat; ideoque ſemper neceſſe erat, vt plebis gratia conſeruaretur per largitiones ipſi maxime exſpectatas. Ea, quae CONTARENUS ad explicandum hunc locum Ciceronianum pluribus attulit, nihil ad ipſam rem facere credo, vt ego iure meritoque absque examine iſta praetermittenda eſſe cenſeam. Maxime vero errauit LIPSIUS *in Admirandis*, qui ex DIONE Lib. XXXVIII. ſuſpicari vult, ſuaſu Catonis plane donatum eſſe frumentum, quia ille dixit: *Clodio igitur* denuo (ἀῦθις) gratis diuiſit.

§. XXXIX.

De numero ſrumentantium.

De quantitate ſrumentationis, de diſtributoribus, de iis, quibus dabatur publicum frumentum, deque prouinciis ſrumentariis nihil habeo dicere, quod mutatum eſſet poſt legem TERENTIAM, ſed potius, huius ſententiam retentam eſſe, non absque ratione arbitror. Quod vero *numerum ſrumentantium* attinet, ex ſumtu, quem ſactum quotannis in eam rem tradit PLUTARCHUS, id coniicere poſſum. Ponamus igitur, frumentum Romae fuiſſe in modios ſingulos quinis H — S, quod neceſſe eſt, cum frumentum lege TERENTIA diuidendum tradit CICERO *frument. in Verrem*, emtum in Sicilia H — S quaternis in modios ſingulos, Romae pluris quoque id fuiſſe neceſſe eſt, niſi aut claſſes, quibus aduehebatur, nullo reipublicae ſumtu nauigarunt, aut faciendi non fuerunt alii ſumtus eo maiores, quod frumenti pars multo maxima e regionibus, quam Sicilia remotioribus, petebatur. Inde CONTARENUS computationem facit, qua ego quoque vtar. — *Ponamus amplius, quam quinis H — S in modios ſingulos frumentum Romae fuiſſe, et quicquid excurrit, reſectum reipublicae ſemiſſibus ac trientibus, quos numerabat plebs, atque hac ratione datos inueniemus ex hoc SCto modios quinos quot menſibus centum hominum millibus. Accipiebant enim ſinguli quotannis modios ſexagenos, qui ea, quam ſtatui, aeſtimatione*

tione H — S quinum valebant aureos ſcutatos ſeptem cum ſemiſſe; hi centies millies ducti reddent ad aſſem ſummam illam Plutarchi DCCL. M. Efficitur itaque, ſi DCCL. M. diuidantur per ſeptem cum ſemiſſe, tanquam annali ſumtu vnius frumentantis, centum millia frumentantium fuiſſe, et id quod excurrit; non enim ad vnguem numerum iſtum tenere poſſumus: ſufficiat aliquo modo determinaſſe.

§. XL.

Lex Clodia.

Deuenimus nunc ad legem CLODIAM, quae a. U. DCXCVI. PISONE et GABINIO *coſſ.* a. P. CLODIO tribuno plebis lata, cuius ſumma erat, *vt frumentum gratis daretur populo.* DIO *Lib. XXXVIII.* auctor mihi eſt, apud quem legitur: Ὁ οὖν Κλώδιος τον σῖτον προῖκα αὖθις διένειμε. Τὸ γὰρ μετρεῖσθαι τοῖς ἀπόροις τῦτε Γαουϊνίυ ἤδη, τῦ Πίσωνος ὑπατευκότων εἰσηγήσατο. *Clodius igitur frumentum denuo gratis diuiſit. Tulerat enim ad populum, vt daretur pauperibus, cum primum Gabinius et Piſo conſulatum inierunt.* Non vnicam legem CLODIAM, ſed duas fuiſſe CONTARENUS ſuſpicatur, vtramque in a. U. DCXCV. ex faſtis Capitolinis, ex DIONE vero in a. U. DCXCVI. incurrere, atque omne fundamentum opinionis ſuae ponit, in eo, quod DIO dixit αὖθις, *rurſus*, legem poſteriorem ſignificans, quae lata eſt de publico frumento,

 quod

quod lege SEMPRONIA ſemiſſe ac trientibus ad eum diem datum erat, gratis dando. Jam vero, quia hoc DIONIS verbum ad SCtum, in CATONIS ſententiam factum, pertinere nequit, neceſſe eſſe cenſet, duas CLODIAS fuiſſe. Sed cur duae? Et ſi SCtum vsque a legem CLODIAM pertinuit, quod tamen ad veritatem proxime accedit, quid priore opus fuit; cum demum per poſteriorem mutaretur frumentaria largitio ſolita, et quaenam mutatio per priorem legem CLODIAM facta eſſe poteſt? Pergit CONTARENUS diuinari, eandem latam eſſe, aut de maiore pauperum numero ad eam admittendo, aut de perpetua frumentatione, aut de vtroque. Credo equidem, in nullo alio mutationem fieri potuiſſe, quam in his tribus punctis; ſed quaenam ratio eſt, ſuſpicari ita? Solum enim verbum αὖθις ad tantas ſuſpiciones facere nequit, nec vllus alius ſcriptor adiuuat; Nonne enim potuit αὖθις dici, ratione illarum plurium largitionum atque legum antea latarum? Ex mea igitur opinione verbum αὖθις trahi poteſt tam ad προῖκα, quam ad διένειμε; malo ad διένειμε referre; et tunc ſublatae ſunt omnes dimicationes: atque id quidem aptiſſime dictum eſt, ſi referas ad plures illas et paulo ante CLODIAM frequentiores largitiones. Videtur igitur CONTARENUS per LIPSII opinionem ſeductus eſſe, qui ex verbo αὖθις ſuſpicari vult, Senatum in Catonis

ſententiam

ſententiam frumentum plebi gratis diuiſiſſe; quem errorem conuellens ex grauiſſimis argumentis CONTARENUS in alium, iam a nobis expoſitum, detruſus eſt. Neque autem ego ſolum DIONEM ſequor, vti CONTARENUS fecit, qui nulla alia teſtimonia adhibuit, ſed auctor quoque eſt CICERO *pro Sextio. XXV.* cum de legum multitudine GABINIO et PISONE *coſſ.* loqueretur, frumentariae quoque mentionem facit his verbis: *vt remiſſis ſemiſſibus et trientibus, quinta prope pars vectigalium tolleretur.* Quinta enim pars vectigalium in aerario adhuc ſupererat in publicum erogandum. ASCONIUS *in Piſon. IV.* MANUTIUS *de Legibus Roman.* vnam a P. CLODIO *trib. pleb.* latam eſſe frumentariam docet, *vt frumentum populo, quod antea ſemis aeris ac trientibus in ſingulos modios dabatur, gratis daretur;* addit adhuc legem iſtam a. L. SATURNINO in tribunatu ferri coeptam eſſe, nulla adducta vetere auctoritate, more ſuo. Inueni ego locum apud CICERONEM *pro Sext. XVII.* his verbis: *nec mihi res erat cum Saturnino &c.* vnde MANUTIUS ſua forſan hauſit, quanam fortuna? ipſe iudices; ego nihil inde colligere poſſum, neque ex *c. XX. de Haruſp. Reſponſ.* vbi CICERO inquit; *Saturninum, quod in annonae caritate quaeſtorem a ſua frumentaria procuratione ſenatus amouit, eique rei M. Scaurum praefecit, ſcimus dolore factum eſſe popularem.* Atque haec quidem lex CLODIA, (aut ſi mauis leges Clodiae) vltima eſt, quae liberae reipublicae

temporibus lata eſt, licet patriciis maxime exoſa, et aerario pernicioſa, plebi tamen gratiſſima, vt nemo illam abrogare auderet, vnde euenit quoque, vt ad tria ſecula defixa animis omnium et firma maneret, nomine ſolum ſub Imperatoribus amiſſo, qui medium captandae aurae popularis magis aptum idoneumque inuenire non potuit, plebisque ſuo imperio ſubiiciendae; id quod in tertia periodo videbimus.

§. XLI.

Largitionis quantitas.

De quantitate frumenti, plebi gratis diuidendi, nihil in lege CLODIA ſancitum fuiſſe videtur, cum omnes auctores ſilent, praeſertim DIO *Lib. XXXVIII.* cum de CLODIO, frumentariae legis auctore, ſcriberet, ne verbum quidem de menſtrui quantitate fecit. Ex eo igitur, quod omiſit mentionem iſtius, facile colligi poſſe credo, nihil CLODIUM mutaſſe. Quodſi enim quoad iſtam quantitatem aliquid noui determinaſſet CLODIUS, neceſſe fuiſſet, vt aut minueret, aut augeret; illud plane non admittendum eſt, quum quini modii ex lege TERENTIA dari conſtituti et ſoliti iam minimum eſſet, vt adeo cum carceris alimentis atque diariis compararetur; nec quoque probabile eſt, quod CLODIUS, qui gratiam plebis conciliare ſibi volebat, id ab vna parte detraheret, quod ab altera parte donaret; nec poſterius, quod auctus ſit

ſit modiorum numerus, ſumi poteſt, cum tantum iam remiſſio pretii, hucusque ſoliti, erat beneficium, quantum vmquam plebs exſpectare poterat. Aſt ne opus quidem eſt hisce rationibus, ſufficit CICERONIS auctoritas *pro Sextio* XXV. qui, cum in frumentariam CLODII largitionem inueheret, *quod remiſſis ſemiſſibus et trientibus quinta prope pars vectigalium tolleretur*, ſimul indicare videtur, nec quicquam amplius per nouam iſtam legem introductum eſſe, quam quod plebs quinos iſtos modios, qui antea ſinguli ſemiſſibus ac trientibus vendebantur, gratis acciperet. Retentam igitur eſſe veterem rationem non adeo leuibus argumentis arbitror, vt vellem, omnia ex antiquitate eruta eſſe tam certa.

§. XLII.

Diſtributores.

Vti hucusque inde a reſtituta tribunicia poteſtate tribuni plebis ipſi curam frumenti publici gererent, ita ex lege CLODIA tribunicia iſta prouincia SEXTO CLODIO demandata eſt, homini impuriſſimo, quod CICERO *pro domo ſua* conqueritur, *ſcilicet tu*, inquit, *agentiſſimo et facinoroſiſſimo Sext.* CLODIO *omne frumentum priuatum et publicum, omnes prouincias frumentarias, omnes mancipes, omnes horreorum claues lege tua tradidiſti.* Et mox: *Queritur etiam importuna peſtis ex ore impuriſſimo Sex.* CLODII *rem frumentariam eſſe ereptam, ſummisque in periculis*

 culis

culis eius viri auxilium imploraſſe Rempublicam, a quo ſaepe ſe et ſeruatam et amplificatam eſſe meminiſſet. Non vero diu hoc munere functus eſt S. CLODIUS, ſed ſuadente CICERONE, *Cn.* POMPEIO nuper ab illo in patriam reſtituto, a. U. DCXCVI. extra ordinem annonae praefectura demandata eſt, qui etiam per quinquennium in toto terrarum orbe vsque ad a. U. DCCI. eadem functus eſt, quo anno a praetore, vti iam antiquitus factum erat, exceptus eſt. Atque hic quidem *Cn.* POMPEIUS, vti ipſe vides, ſecundus praefectus annonae eſt poſt AUGURINUM, inde a prima largitione vſque ad hanc. Ante POMPEIUM, C. CURIONEM *trib. pleb.* a. U. DCCLIII. legem alimentariam iactaſſe, qua iuberet, *Aediles metiri*, DIO auctor eſt; ſed COELIUS ad Ciceronem Lib. VIII. Ep. VI. eam non latam eſſe prodit.

§. XLIII.

De his quibus diſtribuebatur.

Vtrum quoad eos, qui ex largitione frumentaria caperent, lege CLODIA aliquid innouatum ſit, dubito iuſtis ex rationibus, et fere affirmo, eadem, quae lege TERENTIA et CASSIA introducta erant, ſeruata fuiſſe a CLODIO, ut itaque quisque ex plebeia conditione admitteretur; ſed ſi DIONEM ſolum ſequi volumus, nonniſi pauperibus gratis datum eſſe frumentum ſuſpicor. Lib. XXXVIII. De libertis certum eſt, illos omnes admiſſos

miſſos eſſe, iuxta DIONEM *Lib. XXXIX.* ὁ Πομπήιος ἔσχε ἐν τῇ τȣ̃ σίτȣ διαδόσει τριμὴν τινα. πολλῶν γὰρ πρὸς τὰς ἀπ' αυτȣ̃ ἐλπίδας ἐλευθερωθέντων, ἀπογραφὴν σφῶν ὅπως ἐντε κόσμῳ καὶ ἐν τάξει τινὶ σιτοδοθῶσιν, ἐθελῆσαι ποιήσαθαι. *Erant, quae Pompeium in diſtributione frumenti morarentur. Multis enim propter ſpem, quam de ſe excitarat, manumiſſis, vt recte atque ordine acciperent, recenſum eorum facere inſtituerat.* Ex quo loco nouum quoque illud innoteſcit, quod Cn. POMPEIUS primus *recenſum* eorum inſtituit, qui ad capiendum frumentum admittebantur, qui *recenſus* ſequioribus temporibus ſemper ſeruatus mihi eſſe videtur, quod quoque eo magis neceſſarium fuit, quo plures fortaſſe eſſent, qui iſtius frumenti participes fierent, et ob indeterminatum frumentantium numerum, ex aerario alendum, incommoda orirentur multa. Quinam vero is numerus ex lege CLODIA fuerit, neſcio, nec vllum inuenio veſtigium, legis TERENTIAE caput hoc eſſe mutatum; quinam a *Cn.* POMPEIO numerus determinatus ſit, quorum nomina in recenſum translata, inuenire non potui, ſed CAESARIS demum temporibus certus factus eſſe videtur.

§. XLIV.

De frumentariis prouinciis.

Quod adhuc ſupereſt dicendum de frumentariis prouinciis, vnde Roma tanto ſumtu, qui LX.

D 5 millibus

millibus hominum ſufficeret, aleretur, non fere innouatum quid eſſe videtur, quam quod lege TERENTIA et CASSIA ſtatutum erat, Siciliam nempe, Africam et Aegyptum frumentaria ſubſidia fuiſſe, praecipue Siciliam, quam M. CATO cellam penariam reipublicae, nutricem plebis romanae nominauit, vti CICERO *frumentaria in Verrem* auctor eſt, ex qua DCCC. millia modium ſiculorum, quae DCCCCLX. ſunt Romanorum, inuecta, quae LX. hominum M. tres et paulo amplius menſes aluerunt, cum menſtrua largitio eſſet, CCC. M. modiorum. Africani autem frumenti modum putat LIPSIUS memoriae mandatum eſſe a PLUTARCHO *in Caeſare*, quem victo SCIPIONE gloriatum prodit, regionem, quam ſubegerat, talem eſſe ac tantam, vt ex ea quotannis vectigalis nomine Populus Romanus, praeter olei pondus tricies centena M. percepturus eſſet frumenti CC. M. medimnum Atticorum, quae ſunt modium Romanorum duodecies centena M. Sed quia exiguum vectigal eſſet, ab vniuerſa Africa, intelligendum eſt hoc a PLUTARCHO ſcriptum, de quibusdam tantum Africae vrbibus. Olei ſummam a ſolis Leptitanis exactam eſſe aperte tradit auctor commentariorum de bello Africano in calce: *Leptitanos, quorum ſuperioribus annis Juba bona diripuerat, et ad Senatum queſti per legatos, atque arbitris a Senatu datis, ſua receperant, XXX. centenis millibus ponderibus olei in annos ſingulos multat.* De frumento

res

res eſt obſcurior. Attamen, de quibus tantum vrbibus, aeque id valere credo.

§. XLV.

Concluſio.

Atque hic quidem erat ſtatus frumentariarum largitionum liberis reipublicae romanae temporibus intra CCCCXVIII. annorum ſpatium, nullis viciſſitudinibus ſubjectarum; quaeque demum poſt legem CLODIAM certam ac perpetuam formam Imperatorum conſilio et ſuſtentatione acciperent. Videamus igitur nunc, quae poſt iſta tempora obtinuerint, periodo ſequenti.

Caput. III.

Viciſſitudines largitionum frumentariarum ſub Imperatoribus ab AUGUSTO vsque ad JUSTINIANUM.

§. XLVI.

Frumentaria largitio* CAESARE *et* AUGUSTO *imperatoribus.

Omnes iſtas largitiones, quas hactenus vidimus, potiſſimum aurae popularis captandae media, conciliandaeque plebis gratiae fuiſſe, pro certo

certo iam eſt: illudque, quod per CLODIAM legem gratuitam iisdem acceſſit, vltimum fuiſſe conciliandae plebis cum patribus in perpetuum, nemo dubitare poterit, qui vim earundem in animos hominum plebeiae fortis obſeruauit. Neque etiam, vti ipſa res loquitur, vlla lex diuturnitatem facilius obtinere potuit, quam lex CLODIA, ita vt haec etiam eorum conatibus, quam maxime faueret, qui ſub poteſtatem ſuam redigere conarentur populum vniuerſum. Quopropter mirum non eſt, quod CAESAR, tanto auxilio ſuffultus, regnum non affectaret ſolum, ſed quoque compararet ſibi, fundaretque. Imo iſte vir, quem nulla politica ratio fugiebat, tantum momentum in eiusmodi diſtribuendis plebi beneficiis animaduertit, vt frequenter largiri frumentum perſeueraret, fruſtra ſuadente SALLUSTIO, *vt prouideret, vti plebs publico frumento corrupta haberet negotia ſua, et ad deſidiam auocaretur.* Atque tantum abfuit, vt audiret SALLUSTIUM, vt praeter congiaria, quae actis vno menſe quatuor triumphis Populo romano dedit, frumenti etiam denos modios viritim donaret, duobus teſtibus, DIONE et SUETONIO: Hic *Cap. XXXVIII. populo frumenti denos modios ac totidem olei libras diuiſit;* et ille Lib. XLIII. *σῖτον ἔξω τῦ τεταγμένυ, και ἔλαιον προσέδωκεν αυτῷ (τῷ δήμω) frumentum inſuper extra ordinem atque oleum ipſi (populo) dedit.* Locus hic tantum de extraordinariis largitionibus, quos CAESAR fecit, loquitur;

loquitur; de ordinariis iam ſanciuit lex CLODIA, quae retenta eſt Imperatorum aeuo, licet nomine non ſeruato; neque etiam opus fuit alia lege, quo vetus ſanctio confirmaretur, nec quoque poterat derogari eidem, populo ad eandem iam valde aſſuefacto, et orta neceſſitate, ob populi romani multitudinem, cui agri non amplius ſufficerent, ſuccurrendi plebeiis, atque inopiae. AUGUSTUS deinde patris conſilium ſecutus hoc quoque πολίτευμα adhibuit firmandae dominationi, *atque vt militem donis, ſic populum annona pellexit.* Hocque iterum de extraordinaria largitione intelligendum eſt, idque DIO teſtatur *Lib. LV.* factum eſſe ab AUGUSTO, cum fame ingenti premeretur vrbs, donaſſe plebi alterum tantum frumenti, quantum a publico ſolita erat accipere; imo iam multo ante quadruplum dedit, cum VI. conſul ludos exhiberet pro Actiaca victoria, eodem teſte *Lib. LII.* quod ſine dubio SUETONIUS indicare videtur cap. XLI. *Frumentum in annonae difficultatibus ſaepe leuiſſimo, interdum nullo pretio viritim admenſus eſt.* Duae quoque inſcriptiones in lapide Ancyrano, quem CONTARENUS vidiſſe prodit, extant, quae teſtantur, tam publicum, quam priuatum frumentum ab AUGUSTO diſtributum eſſe.

I. CONSUL. TERTIUM. DECIMUM. SEXAGENOS. DENARIOS. PLEBI. QUAE. TUM. FRUMENTUM. PUBLICUM. ACCE — — — DEDI.

II.

II. ITERUM. AERE. MEO. VIRITIM. CONSUL. UNDECIMUM. DUODECIM. FRUMENTATIONES. FRUMENTO. PRIUATIM. COEMTO. EMENSUS. SUM.

Ex quo igitur conſtat, AUGUSTUM ſingulis menſibus frumentum aere ſuo coemtum plebi gratis dediſſe; quibus largitionibus ita patrimonium ſuum exhauſit, vt ſupremo teſtamento profeſſus ſit, abſumta a ſe in rempublicam duo paterna patrimonia, et ſupra quater decies millies, quae nunc circiter ſunt quinque et triginta milliones. Arguitur tamen mendacii a DIONE *Lib. XLVI.* quod militibus pecunias diuiſerit, λογῷ μὲν οἴκοθεν, ἔργῳ δὲ ἐκ τῶν κοινῶν, *verbis de ſuo, reapſe de publico.* Aſt non de omni largitione hoc intelligendum eſt, ſed vti iam vidimus, idem ſcriptor fauet AUGUSTO, priuato ſumtu multas factas fuiſſe.

§. XLVII.

De quantitate largitionis.

Quinam frumenti, quod diſtribuebatur, modus fuerit CAESARIS temporibus, plane non conſtat, nec poſt eundem intelligitur, niſi volueris ab extraordinaria largitione, cuius modo mentionem fecimus, et quae denum modium fuit, colligere ad ordinariam, quod tamen abſque omni ratione factum eſſet, vt mirer LIPSIUM *in Admirandis* affirmaſſe, quod alibi hoc a ſe notatum ſit, quod tamen nullibi deprehenditur. In *Electis* enim, vbi commode

commode id debuiſſet ac potuiſſet exponi, nihil eius rei proditum eſt, ibique errauit errorem, quod deni modii iſti, quos narrat SUETONIUS, ordinaria largitio fuerint. Nihil poſt CAESAREM de modo frumentariae largitionis a ſcriptoribus proditum eſt, vt itaque non habeamus, quod in poſterum huius generis aliquid afferamus; ſuſpicor tamen, non ex reprehendenda ratione, veterem quantitatem quinque modiorum ſemper retentam eſſe.

§. XLVIII.

De his, qui curabant publicum frumentum; Aediles Cereales.

Vsque ad a. U. DCCI. *Cn.* POMPEIUM publici huius frumenti curam habuiſſe, ſupra iam vidimus; a CAESARE deinde *Praetores duo* creati ſunt, totidemque *Aediles*, qui frumento praeeſſent, ideoque *Cereales* dicti a. U. DCCIX. Eodemque anno BRUTUS et CASSIUS Praetores, ille inter ciues, hic inter peregrinos, cum, CAESARE caeſo, iurisdictione vrbana abſtinerent, neque ire ante tempus in prouinciam honeſtum ac decorum putarent, SCto extra ordinem rei frumentariae ſunt praefecti, vt BRUTUS in Aſia, CASSIUS in Sicilia frumentum emendum et ad vrbem mittendum curarent. POMPONIUS auctor eſt in l. 2. §. 32. D. de Orig. Jur. *Deinde Caius Julius Caeſar duos Praetores, et duos Aediles, qui frumento praeeſſent, et a Cerere,*

Cerere, Cereales Conſtituit. APPIANUS *Ciuil. III.* CICERO *ad Attic. XI. Epiſt. IX. et ſequentibus.*

§. XLIX.

Praefectus annonae.

Neque tamen diuturna eorum cura fuit, ſed mox *Annonae Praefectus,* qui et Annonarius cognitor dicitur l. ult. C. Th. *de nauicular:* creatus eſt, cuius munus ordinarium ac perpetuum factum, quod antiquitus bis tantum extra ordinem, primum *L.* MINUCIO, deinde *Cn.* POMPEIO datum erat. Errat igitur LIPSIUS, qui in a. U. DCCXXXII. M. MARCELLO et L. ARRUNTIO *coſſ.* originem praefecturae annonariae collocat. AUGUSTUS reſtaurauit hoc munus, ac perpetuum fecit, cum ad eius aedes, candefacta tum temporis annona, et premente fame plebs cum XXIV. faſcibus accurrit, et magna vi dictaturam obtulit, atque exemplo *Cn.* POMPEII praefecturam annonae. Dictaturam ſpreuit, praefecturam admiſit, atque Duumuiros creauit ex iis, qui ante quinquennium praetura functi eſſent, vt curam diſtributionemque ſuſciperent, DIO *Lib. LIV.* Καί Αυγωςος τȣ̃το μὲν (intellige ἐπίμελειαν τȣ̃ σίτȣ) ἀναγκαίως ἐδέξατο, καὶ ἐκέλευσε δύο ἄνδρας τῶν πρὸ τέντε πȣ ἐτῶν ἐςρατηγηκότων πρὸς τὴν τȣ̃ σίτȣ διανομὴν κατ᾽ ἔτος αἱρεῖϑαι. Idem indicare videtur SUETONIUS *in Auguſto* Cap. XXXVII. *Quo plures partem adminiſtrandae*

reipublicae

reipublicae capeſſerent noua officia excogitauit, curam operum publicorum, viarum, aquarum, et aluei Tiberis: Frumenti populo diuidendi. Inſtituto hoc ab Auguſto plebi maxime ſalutari muneri publico magnam et dignitatem et poteſtatem addiderunt, officiales ſpeciales, apparitores, et comitatus. Nomen eius maxime conſuetum erat annonae praefectus. Saepe etiam in lapidibus inciſum: CURATOR. ANNONAE. *Ulpianus in l. 1. §. 18. D. de exercit. act.* eum *praefectum propter miniſterium annonae* vocat. Apud eundem cauſae anonariae agitabantur, deinde vero provocabatur ad Imperatorem *l. 13. D. de accuſat.* Iisque lictores, accenſos et imaginem magiſtratus fuiſſe ex FRONTINO diſcimus *de Aquaeductibus* Lib. II. *Lictores binos et ſeruos publicos et ſcribas, et librarios, accenſos, praeconesque totidem habeant, quot ii, per quos frumentum plebi datur.* Cum autem duo Praefecti non viderentur pares tantae functioni, AUGUSTUS quadriennio poſt quatuoruiros ſorte eligi iuſſit ex iis, qui ante triennium Praetores fuerint. DIO *Lib. LIV.* Magna quoque cum dignitate annonae praefectura coniuncta erat, vt inter primos magiſtratus referretur, quod plurimis probari poteſt ex TACITO *Lib. I. Annalium. Sex. Pompeius et Sex. Apuleius conſules primi in verba Tiberii Caeſaris iurauere: apudque eos Seius Strabo et C. Turranius, ille Praetoriarum cohortium praefectus, hic annonae.* Et adeo CASSIODORUS illam proximam facit a prae-

 fectura

fectura vrbis. Sed euiluit eadem quandoque, vt BOETHIUS *Lib. III. de Conſolat.* ſcribat; *Si quis quondam populi curaſſet annonam, magnus habebatur: nunc ea praefectura quid abjectius?* Hoc tamen non ſemper fuit ita. Sub Imperatoribus enim honorificentiſſimum munus erat. Vocabatur *ſpectabilis vir* l. 24. C. Th. de ſuſceptoribus, *vir clariſſimus* l. 15. C. Th. de piſtorib. l. 9. C. Th. de Suariis. compellatus et hoc titulo; *Grauitas tua* l. 5. C. Th. de praed. nauicul. l. 21. C. Th. de piſtorib. de annona praefectus vrbi nihil ſine praefecto annonae diſponere poterat l. 1. C. Th. de cond. in publ. hor. CASSIODORUS Var. Lib. VI. c. XVIII. *ſi querela panis*, inquit, *vt adſolebat, concitaretur, tanquam promiſſor vbertatis ſeditiones ciuicas momentanea ſatisfactione diſſoluebat; nec tribunal eius inter minimas erat dignitates, quando et Romana gratia fruebatur, et prouinciis iuſſa transmittebat.* Officiales, ſ. Apparitores ipſi additi l. 6. C. Th. de poenis l. 21. C. Th. de piſtorib. l. 14. C. Th. de exactionibus. l. 1. C. Th. de cond. in publ. hor. l. 4. C. Th. de canone frument. U. R. l. 2. 3. C. Th. de annon. ciuic. l. 4. C. Th. de appellat. l. vlt. C. Th. de nauicul. Clarius eorum Officialium munus deſcribitur in Codice Juſtinianeo in l. 1. et 2. de Apparitor praef. ann. vbi ab Imppp. VALENTE, GRATIANO et VALENTINIANO reſcriptum: *Apparitores vrbanae praefecturae annonario officio ſeſe non inſerant: ſed apparitorum aemulationae ſecreta, miniſterio*

ſuo

ſuo annonae Praefecturae fungantur. Atque iterum Impp. ARCADIUS et HONORIUS *reſcripſerunt, Praefectus annonae canonem, qui ad officium ſuum pertinet, per compulſores exigat: et cum officio ſuo retineatur obnoxius, qui ad implendum canonem deuotionis ſuae exactionem non oſtenderit.*

Munera praefecti annonae explicat CASSIODORUS *Lib. VI. Var.* in formula praefecturae annonariae, *vt annona vrbi praepararetur, et vbique panis copia redundaret, pondereque iuſto ac munditie debita panis veniret.* Eorum etiam examini ſequioribus temporibus piſtores et ſuarii ſubjecti erant. l. 3. l. 12. l. 15. C. Th. de piſtoribus. Teſſeras quoque frumentarias diſtribuebant iis, qui recenſiti erant, quod oſtendit Nou. LXXXVIII. c. II. Τινας παραγγέλλοντας τοῖς χορηγοῦσι τὸ δημόσιον σιτηρέσιον, ἢ καὶ ψήφους πορίζομένους παρὰ τοῦ τῶν ἀνώνων ὑπάρχου, βουλομένους ἀναρτηθῆναι τὴν χορηγίαν, καὶ τὸν ἐντεῦθεν μόνον, ὡς εἰκὸς, τρεφόμενον ἀποστερῆσαι τῆς χορηγίας. quae ſic vertit HOMBERGK ZU VACH p. 615. *Aliqui denunciando illis, qui publicam annonam praebent, vel etiam decreta* (vel teſſeras) *a Praefecto annonarum accipiendo, velint erogationem ſuſpendi, eumque, qui exinde ſolum forte alitur, erogatione priuare, ex qua ille omnem victum accipit.* Vtrum praefectus annonae recenſum frumentantium inſtituere, in locum demortuorum alios ſubſtituere debuerit, nullibi quidem expreſſe

 proditum

proditum inueni, ſed tamen maxime probabile id eſt, cum id ad prouinciam praetorum, quos CAESAR ob annonarias cauſas inſtituerat, pertinuerit, in quorum locum praefecti annonae ſucceſſerunt, imo quoniam hi quoque omnia ad rem annonariam ſpectantia peragerent. In Codice Theodoſiano pluribus in locis praefecti annonae mentio fit, de quibus paſſim ſigillatim agemus. Id tantum adhuc notandum, tres diuerſos annonae praefectos fuiſſe, vnum annonae romanae, de quo pluribus in locis mentio fit, alterum annonae Africae l. 13. Cod. Th. de ann. et trib. tertius annonae Alexandriae l. 3. de ſuſceptoribus. In Codice Iuſtinianeo extat quidem rubrica *de Officio praefecti annonae Lib. I. Tit. XLIV.* ſed deficit conſtitutio, quod in MSCtis quoque notatur, nec potuit *Ant* AUGUSTINUS eandem reſtituere, licet ſatis feliciter de prioribus titulis ſollicitus fuit. Quatenus autem ex pluribus imperatorum conſtitutionibus colligere licet, munus eius erat, vt, 1) annonarum ciuicarum erogandarum curam haberet l. 2. 3. C. Th. de ann. civ. l. 2. C. Th. de canon frum. Urb. R. 2) ad portum Urbis R. certo tempore ſe conferre tenebatur inſpiciendi canonis cauſa l. 2. et ult. C. Th. de nauiculariis 3) Suſceptores canonis ipſi rationes reddere debebant 4) ſub eiusdem poteſtate erant, Nauicularii, Caudicarii, Menſores, Piſtores atque Suarii.

§. L.

§. L.

Quibus dabatur publicum frumentum, et de recenſu eorum, et de teſſeris frumentariis.

Vtrum mos vetus atque inueteratus tandem poſt tot legum viciſſitudines, quod quilibet ex miſera plebe frumentum caperet, retentus fuerit a CAESARE, an mutatus, additis reiectisque quibusdam, obſcurum eſt; ſane hoc certum eſt, CAESAREM frumentantium *recenſum* inſtituiſſe, hoc eſt, examen et diſquiſitionem breuem in eos, qui iure aut iniuria capiebant publicum frumentum, quam Graeci ἀπογραφὴν et ἐξέτασιν vocant. Stante iam republica iſtum recenſum vſurpatum fuiſſe, ex CICERONE intelligimus *in Miloniana: Eum* (Clodium) *qui aedem Nympharum incendit, vt memoriam publicae recenſionis tabulis publicis conſignatam extingueret.* Neque admittebantur, niſi qui domicilium Romae haberent, quod CASSIODORUS' indicare videtur his verbis: *vt qui vrbis affectum domicilii indicio monſtrare neglexerint, eius commodis non perfruantur.* SUETONIUS *in Caeſare* cap. XLI. *Recenſum populi nec more, nec loco ſolito, ſed vicatim per dominos inſularum egit: atque ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum ad centum quinquaginta retraxit; ac ne qui noui coetus recenſionis cauſa moueri quandoque poſſent, inſtituit vt quotannis in demortuorum locum ex his qui recenſiti non eſſent, ſubſortitio a Prae-*

tore fieret. Nemo ſcilibet admittebatur, niſi recipi ſe et in album referri curauerit, Locus ad hunc recenſum conſcribendum ſolitus erat *Campus Martius*, vbi Cenſores et publici Scribae nomina inquirebant et conſcribebant, cum poteſtate recipiendi hos, illosue reiiciendi. Quod vero, SUETONIO teſte CAESAR Dictator mutauit, ita vt a Praetore ſubſortitio fieret ex his, qui recenſiti non eſſent, ad ſupplendum locum demortuorum. Dabantur hisce recenſitis *teſſerae*, quas vendi, quia nulla lex vetabat, fiebat non raro, vt qui eas emerant, quamquam recenſiti non erant, acciperent nihilominus frumentum. Vili eas vaeniſſe ex Juuenalis Satyra VII. videri poteſt

> *Summula ne pereat, qua vilis teſſera venit*
> *Frumenti.*

Teſſerae iſtae *frumentariae*, ſiue ſymbola quaedam e ligno, aut aere, aut plumbo diſtribuebantur a Curatoribus, loco ipſius frumenti, et in orbem rotundate fuerunt, quod DIO *in Hadriano Lib. LXIX.* p. 791. indicare videtur. Δῶρα διὰ σφαιρίων ἐν τῷ θεάτρῳ καὶ ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ ἔρριψε. *Dono in theatro et circo in ſphaeris miſſilibus dedit.* Auguſtus primus iſtas teſſeras inueniſſe ac dediſſe videtur, auctore SUETONIO *in Auguſto* c. XL. et XLI. SERUIUS *in illud Virgilii Lib. I. Georgic. v.* 263.

> *Aut pecoris ſignum, aut numeros impreſſit aceruis.*

Facit,

Facit; ait, *characteres, quibus pecora ſignantur, vt teſſeras, quibus frumentorum numerus deſignatur. Nam numeros pro litteris poſuit, quibus numeri continentur.* Hinc, ISIDORUS Lib. vlt. cap. XIV. *Teſſeras*, ait, *eſſe, quibus frumentorum numerus deſignatur.* Teſſerae iſta etiam quandoque legabantur a frumentantibus, vnde *teſſerae legatum* ortum, de quo PAULUS diſputat in l. 49. §. 1. D. de Legat. II. *Si Titio* inquit, *frumentaria teſſera legata ſit, et is deceſſerit; quidam putant extingui legatum: ſed hoc non eſt verum: nam cui teſſera, vel militia legatur, aeſtimatio videtur legata.* SCAEVOLA per vocem *tribus*, teſſeras et ius accipiendi eas fortaſſe indicat l. 35. pr. D. de Legat. III. *Patronus liberto ſtatim* tribum emi *petierat; libertus diu moram ab herede patroni paſſus eſt, et decedens heredem reliquit clariſſimum virum: Quaeſitum eſt, an* tribus aeſtimatio *heredi eius debeatur? Reſpondit, deberi.* Iterum PAULUS *Lib. XIX. Reſponſor.* in l. 87. pr. D. de Leg. II. ait. *Titia Seio teſſeram frumentariam comparari voluit, poſt diem trigeſimum a morte ipſius. Quaero cum Seius viua teſtatrice teſſeram frumentariam ex cauſa lucratiua habere coepit, nec poſſit id quod habet petere; anne ei actio competat? Paulus reſpondet, ei de quo quaeritur pretium teſſerae praeſtandum, quoniam tale fideicommiſſum magis in quantitate, quam in corpore conſiſtit.* ULPIANUS demum *Lib. VI. Fideicommiſſ. in l.* 52. §. 1. *D. de iudiciis: Si libertis,* inquit, *ſuis teſſeras frumentarias emi voluerit, quamuis maior pars hereditatis in*

prouincia ſit, tamen Romae debere fideicommiſſum ſolui, dicendum eſt: cum apparet id teſtatorem ſenſiſſe ex genere comparationis. Iſtae teſſerae perpetuae erant, et manebant recenſitis vsque ad mortem; iis vero defunctis, non ad heredes iure antiquo tranſibant, ſed ſubſortitio a praetore fiebat, quod temporibus ſubſequentibus, Ulpiani certe, mutatum eſt, cum legari poterant. Aliae extra ordinem ſpargebantur populo, de quo SUETONIUS ſcribit *in Nerone,* NERONEM *teſſeras frumentarias populo ſparſiſſe* ait. XIPHILINUS Lib. LXI. p. 698. διὰ συμβόλων σφαίρα μικρὰ γεγραμμένα in vulgus iacta refert, *quae continerent, quantum frumenti, aliarumue rerum ei, cuius in manum veniſſent, praeſtandum eſſet.* Inde teſſerae oleariae, aerariae, numariae, theatrales, circenſes, quales ſaepenumero ab Imperatoribus ſpargi ſolebant, vti de TITO, DOMITIANO, HADRIANO, XIPHILINUS id prodidit. Pluribus de iisdem diſſeruit REINESIUS *Inſcript. p. 1016. ſeq.* PETITUS *Variar. lect.* I. c. VIII. Acceptis hisce teſſeris frumentariis ibatur ad horrea, quorum complura in quauis regione vrbis erant, eorumque trecenta et nouem fuiſſe proditur, ab auctoribus ſuis nomen acceperunt, *horrea Aniceti, Varganteïi, Galbiana, Domitiani Auguſti, Seiani* &c. quae in deſcriptione Vrbis reperies. Frumenta hic repoſita poſterior aetas ἁπλῶς, *condita*, vocauit, de quo titulus in Codice tam Theodoſiano, quam Juſtinianeo eſt,

de conditis in publicis horreis. Ibidem *in l. 1. C. Iuſt. h. t. Valentinianus Imp. conſtituit, non prius ad id frumentum extendatur expenſio, quod ſub praefectura tua Vrbis horreis inſertur, quam vetera* condita *fuerint erogota.* Inde quoque SPARTIANUS *in Hadriano* corrigendus eſt, *laborabat praeterea, vt* condita *militaria diligenter cognoſceret.* Hisce horreis praepoſiti erant *frumentarii menſores*, qui populo admetiebantur, ſic tamen, vt quisque, vti ego opinor, ad horrea iret ſuae regionis. Quod ſignificat LUCILIUS

Frumentarius eſt, modium hic ſecum atque rutellum
Vnum habet.

Et PAULUS *in l. 26. D. de excuſat. tutor.* ait, *Menſores frumentarios habere ius excuſationis, apparet ex Reſcripto Diuorum Marci et Commodi, quod reſcripſerunt praefecto annonae.* Idem hoc priuilegium PAULUS interpretatione ſua ad vacationem aliorum munerum extendit in l. 9. §. 1. D. de Vacat. *Priuilegium, frumentariis negotiatoribus conceſſum, etiam ad honores excuſandos pertinere.* Ideoque in l. 10. §. 1. *corpus*, inquit, *menſurarum frumenti iuxta annonam vrbis habent vacationem; in prouinciis non idem.* legendum forte cum HALOANDRINA et HUGONE a PORTA *menſorum.* Teſſerarii quoque vocabantur, quia annonam diuidebant. CUIACII *Obſ.* Lib. II. c. XXXIII. Alio tamen ſignificatione veniebant adhuc frumentarii, pro iis ſumti, qui vltro citro

curſitabant per prouincias, per domos, ad frumenta conquirenda et conuehenda, quos Graeci πυροφόρους dixerunt; Latini *Agentes de rebus.* Adi de iis TURNEBUM *Lib. XIX. Aduer. XXVI.* et CUIACIUM *ad Codicem.*

§. LI.

Numerus frumentantium.

De numero eorum, qui frumentum publicum acciperent, ex SUETONII loco *in Caeſare. c. XLI.* §. antec. adducto conſtat, ne prius, quam a CAESARE, definitum ac certum factum eſſe atque id quidem per recenſum. DIO *Lib. XLIII.* ad dimidiam partem redactos frumentantes eſſe prodere videtur, dum inquit: Καὶ τοῦ πλήθους τοῦ τὸν σῖτον φέροντος ἐπὶ μακρότατον, οὐ κατὰ δίκην, ἀλλ᾽ ὥσπερ ἐν ταῖς στάσεσιν εἴωθε γίνεσθαι, ἐπαυξηθέντος, ἐξέτασιν ἐποιήσατο, καὶ τούς γε ἡμίσεις ὁμοῦ τι αὐτῶν προαπήλειψε. Sed tamen ex verbo ὁμοῦτι, id eſt, *ferme* colligere poſſe mihi videor, rotundum tantum numerum, non exactum, indicare voluiſſe DIONEM, ita vt aliquando pauciores fuiſſe intelligamus. Neuter tamen eorum rem ita prodit, vt videre poſſimus, reduxeritne Caeſar veterem numerum, an modice auctum ierit. LIPSIUS reuocatum veterem credit, CONTARENUS nihil ſtatuere vult; credendum potius eſt, auctum eundem eſſe, non ob eam ſolum cauſſam, quod in homine

homine populari fuit hoc magis populare, ſed etiam, vt ciuibus tenuioribus, et obaeratis, qui cum nihil haberent in cenſu, collocarant in CAESARE omnem ſpem ſuam, et ab eius partibus ſteterant, gratia ex aliqua parte rependeretur. Poſt CAESARIS vero necem exorta bella ciuilia numerum iſtum iterum reddiderunt; ſed AUGUSTUS denuo eundem ad CC millia et quod excurrit coarctauit. Ipſe AUGUSTUS teſtis eſt in breuiario rerum a ſe geſtarum, et impenſarum, quas in rempublicam et Populum Romanum fecit, cuius caput hoc inuenitur:

> CONSUL. TERTIUM. DECIMUM. SEXAGENOS. DENARIOS. PLEBI. QUAE. TUM. FRUMENTUM. PUBLICUM. ACCE — — — DEDI. EA. MILLIA. HOMINUM. PAULLO. PLURA. QUAM. DUCENTA. FUERUNT.

Idem prodit DIO Lib. LV. ὁ δὲ Αὔγουστος τὸ τοῦ δήμου τοῦ σιτοδομένου πλῆθος ἀόριστον ὄν, ἐς εἴκοσι μυριάδας κατέκλεισε, καὶ ὥσγε τινὲς λέγουσιν, καθ' ἕνα ἑξήκοντα δραχμὰς ἔδωκε. *Auguſtus frumentantium multitudinem minime certam ad M. CC. redegit et viritim ſexagenos denarios, vt quidam auctores ſunt, dedit.* Qui licet in anno U. DCCXLVIII. C. ANTISTIO VETERE ET D. LAELIO BALBO *coſſ.* hoc eſt, quadriennio ante XII. AUGUTSI, conſulatum collocat, non tamen contradicit AUGUSTO; hoc enim dicit AUGUSTUS, *ſe conſulem decimum tertium, congiarium dediſſe plebi, quae per id tempus frumentum accipiebat*

accipiebat. CONGIARIUM ſcilicet omne id appellabatur, quod principes populo largiebantur, ſiue in pecunia, ſiue in aliis rebus, vt oleo, frumento, vino, conſiſtebat. Hinc QUINCTILIANUS Lib. VI. c. II. *congiarii vocem communem et menſurae et liberalitatis ſcribit. Id vero, quod ex Imperatorum liberalitate militibus dabatur,* donatiuum *vocatum eſt.* SUETONIUS *in Nerone* c. *VII. Deductus in forum Tiro, populo congiarium, militi donatiuum propoſuit.* AUGUSTUS igitur retinuit recenſum frumentantium, a patre inſtitutum, licet auctum, quod ſcilicet ob plurima bella ciuilia anguſtiasque temporum neceſſe forte fuit. De priuato frumento, quod AUGUSTUS diſtribuendum curauit, alter breuiarii locus hic eſt:

> ITERUM. AERE. MEO. VIRITIM. CONSUL. UNDECIMUM. DUODECIM. FRUMENTATIONES. FRUMENTO. PRIUATIM. COEMTO. EMENSUS. SUM. ET. TRIBUNITIA. POTESTATE. DUODECIMUM. QUADRINGENOS. NUMMOS. TERTIUM. VIRITIM. DEDI. QUALIA. MEA. CONGIARIA. FRUMENTI — — — — NUM. NUNQUAM. MINUS. QUINQUAGINTA. ET. DUCENTA. — — — SIA.

Quae in hoc mutila aut corrupta ſunt multo ſtudio reſtituere conatur CONTARENUS ad hunc modum:

> QUAE. MEA. CONGIARIA. ET. FRUMENTUM. ACCEPERUNT. HOMINUM. NUMQUAM. MINUS. QUINQUAGINTA. ET. DUCENTA. MILLIA.

Neque

Neque aſſentiri poſſum LIPSIO, qui locum hunc ita legit.

> QUALI. MEO. CONGIARIO. FRUMENTI. MODIUM. NUMQUAM. MINUS. QUINQUAGINTA. ET. DUCENTA. MILLIA.

Quia obſcurum eſt, vtrum datum ſingulis modium, an vero nunquam minus largitionibus ſingulis effuſum ducentis quinquaginta modium millibus; imo ex prima reſtitutione largitiones multis partibus maiores ſunt, digniores AUGUSTI liberalitate. Nam ducenta quinquaginta modium millia, vt ſingulis dati fuerint modii quini, acceperunt hominum quinquaginta millia; ex CONTARENI vero emendatione frumentum, et omnia congiaria nunquam minus acceperunt hominum CCL. M. Quoad eos, qui ad largitiones frumentarias admitterentur, accedit adhuc SUETONII locus *cap. XLII.* p. 233. ed. Oudend. qui prodere videtur, AUGUSTUM aratores et negotiantes admiſiſſe, dum narrat, poſt magnam illam famem, quae Auguſtum prope impulit, ad abolendas publicas frumentationes, ita ab eo rem temperatam, *vt non minorem aratorum ac negotiantium, quam populi rationem deduceret.* Ego tamen non video, quomodo potuerit AUGUSTUS hoc conſilio plebem ab ignauia et deſidio ad agriculturam auocare, ſi enim vna cum induſtriis et gnauis admittebantur adhuc ad frumentationes ignaui et otioſi, quid erat

erat, cur quiſquam commoueretur, et vitam duram ac laborioſam praeponeret inerti et ſecurae?

§. LII.

Quando diſtributum frumentum.

De tempore, quo largitiones haecce menſtruae atque ordinariae fiebant, certum eſt, quod principium cuiusque menſis fuerit, id quod iam inde a GRACCHO obtinuit, vti APPIANUS teſtatur, GRACCHUM σιτηρέσιον ἔμμηνον diuiſiſſe. De *die* nihil conſtat; aſt ſi SUIDAM ſequi volumus, qui ſuauiter eleganterque ſub ipſas Nonas id factum eſſe ſuſpicatur, dum annonas quaſi μετὰ τὰς νόνας διδομένας tradit, et inde annonae vocem deriuat, non plane a veritate aberrare videmur. AUGUSTUS, qui omnem largitionem fere transmutauit, hanc quoque conſuetudinem mutare tentauit, ſed deſtitit propter aduerſam populi voluntatem, vti SUETONIUS *in Auguſto* Cap. XL. pag. 228. ed. Oudendorp. *Populi recenſum vicatim egit: ac ne plebs frumentationum cauſa frequentius ab negotiis auocaretur, ter in annum, quaternum menſium teſſeras dare deſtinauit: ſed deſideranti conſuetudinem veterem conceſſit rurſus, vt ſui cuiusque menſis acciperet.*

§. LIII.

De frumentariis provinciis.

Praeter *Siciliam*, *Africam*, *et Sardiniam* frumentarias prouincias, quae tria potiſſima frumentaria

taria ſubſidia ſemper fuere, AUGUSTUS Aegyptum tributarium fecit, qui a NERONE deinde in prouinciam Romanam mutatus eſt; vnde teſte AURELIO VICTORE *in Auguſto* illata ſunt annua decenties centena M. modium frumenti. PLINIUS *in Panegyrico*: *Percrebuerat antiquitus, vrbem noſtram niſi opibus Aegypti vti ſuſtentarique non poſſe: ſuperbiebat ventoſa et inſolens natio, quod victorem quidem populum, poſceret tamen; quodque in ſuo flumine in ſuis manibus, vel abundantia noſtra, vel fames eſſet. Refudimus Nilo copias ſuas, recepit frumenta, quae miſerat, deportatasque meſſes reuexit. Diſcat igitur Aegyptus, credatque experimento, non alimenta ſe nobis, ſed tributa praeſtare.* Ad frumentum ex *Aegypto* quotannis aduehendum inſtituta forte eſt *claſſis Alexandrina,* de qua SUETONIUS *in Auguſto* cap. XCVIII. p. m. 334. et SENECA *Epiſt.* LXXVIII. *Subito nobis hodie Alexandrinae naues apparuerunt, quae praemitti ſolent, et nunciare ſecuturae claſſis aduentum. Tabellarias vocant. Gratus illarum Campaniae adſpectus eſt. Omnis in pilis Puteolorum turba conſiſtit, et ex ipſo genere velorum, Alexandrinas, quamuis in magna turba nauium intelligit:* Solis *enim licet ſupparum intendere, quod in alto omnes habent naves. Cum intrauere Capreas, et promontoriorum ex quo*

Alta procelloſo ſpeculatur vertici Pallas:

ceterae velo iubentur eſſe contentae, ſupparum Alexandrinarum inſigne (indicium) eſt. Huc etiam pertinet quod

quod apud CLAUDIANUM *de bello Gildonis* Roma ipſa conqueritur;

> *Tot mihi pro meritis Lybiam Nilumque dedere,*
> *Vt dominam plebem bellatoremque Senatum*
> *Claſſibus aeſtiuis alerent, geminoque viciſſim*
> *Litore diuerſi complerent horrea venti.*
> *Stabat certa ſalus; Memphis ſi forte negaret,*
> *Penſabam Pharium Gaetulas meſſibus annum.*
> *Frugiferas certare rates, lateque videbam*
> *Punica Niliacis concurrere carboſa velis.*
> *Cum ſubito par Roma mihi, diuiſaque ſumſit*
> *Aequales Aurora togas. Aegyptia rura*
> *In partem ceſſere nouam: ſpes vnica nobis*
> *Reſtabat Libyae.*

De Africano frumento teſtatur PLUTARCHUS *in Caeſare:* Ἀλλὰ γὰρ ὡς ἐπανῆλθεν εἰς Ῥώμην ἀπὸ Λιβύης, πρῶτον μὲν ὑπὲρ τῆς νίκης ἐμεναληγόρησεν πρὸς τὸν δῆμον, ὡς τοσαύτην κεχειρώμενος χώραν, ὅση παρέξει καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτὸν εἰς τὸ δημόσιον, σίτου μὲν εἴκοσι μυριάδες ἀττικῶν μεδίμνων. ἐλαίου δὲ λιτρῶν μυριάδας τριακοσίας. De aliis adhuc prouinciis frumentariis loquitur PLINIUS *Lib. XVIII. c. VII.* ſcribens: *Ex his generibus, quae Romam inuehuntur, leuiſſimum eſt Gallicum atque e Cherſoneſo aduectum. Quippe non excedunt in modium vicenas libras ſi quis granum ipſum ponderet. Adiicit Sardum ſelibras, Alexandrinum et trientes hoc et Siculi pondus.*

pondus. Boeotiam totam libram adiicit, Africum et dodrantes.

§. LIV.

Frumentaria largitio TIBERIO *imperatore.*

Perſequamur nunc publicam hanc frumentationem, quae Caeſaris et Auguſti ſtudio in eum ordinem redacta eſt, qualem diutiſſime ſeruare potuit, et quoque ſeruauit. Diligenter tamen diſtinguendae ſunt frumentationes priuatae ab Imperatoribus quandoque extra ordinem, aut proprio aut publico ſumtu, factae, quas nonnumquam non ſine detrimento confudit CONTARENUS; quas omnes enarrare nolumus, quodſi tamen opportunus locus aderit, non negligamus. Magis vero cum ordinariis perpetuisque frumentationibus nobis res eſt, quia ad has plurima illa annonariae inſtituta, principum reſcripta, interpretationesque ICtorum ſpectare videntur. Qui igitur in imperio AUGUSTO ſucceſſit TIBERIUS, quoad priuatas maxime tenax, neque popularis in donando fuit, ſatis iamiam ſorte ſecurus de imperio ſuo: quoad publicas vero ius conſtitutum ſeruaſſe, nullus dubito. Nouum tamen aliquod ab eo excogitatum legimus apud TACITUM Annal. Lib. II. *Nam ſaeuitiam annonae incuſante plebe, ſtatuit frumento pretium, quod emtor penderet, binoſque nummos ſe additurum negotiatoribus in ſingulos modios*; quod non ad publicam frumentationem trahendum eſt;

 in

in hac enim, quia pretium non dabatur, illud nec minui poterat, ſed ſine dubio extra ordinem omnibus iis, qui ex frumentantium numero non eſſent, ideoque nihil frumenti gratis acciperent, aut iis, quibus teſſera non ſufficeret, datum eſt leuiori pretio. LIPSIUS in hoc valde errat, dum iſtam largitionem vt frumentariam talem ſumit, qualem nos hic intelligere debemus, et adeo numerum frumentantium auctum eſſe a TIBERIO putat, idque ex TACITO colligere vult *Lib. VI. Annal. Iisdem conſulibus* (Cn. Domitio et M. Furio anno U. C. DCCXXCV.) *grauitate annonae iuxta ſeditionem ventum; multaque et plures per dies in theatro licentius efflagitata, quam ſolitum aduerſus Imperatorem. Queis commotus incuſauit Magiſtratus Patreſque, quod non publica auctoritate populum coercuiſſent: addiditque, quibus e prouinciis, et quanto maiorem, quam Auguſtus rei frumentariae copiam aduectaret.* Jam concludit LIPSIUS, *Si auxit numerum frumenti, ergo et frumentantium.* Sed neſcio ego, quomodo hoc inde ſequatur, cum TIBERIUS nonniſi frumentum Romam aduehendum curauerit. Argumenta fortiſſima, quibus contra LIPSIUM vſus eſt CONTARENUS, apud hunc vide ſis *pag. 965. ſeq.* Imo addit adhuc TACITUS *Lib. IV. Annal.* modum quo Tiberius flagitanti plebi ſuccurrit absque vlla mentione factae largitionis. *Plebs acri* inquit, *quidem annona fatigabatur, ſed nulla in eo culpa ex Principe. Quin infoecunditati terrarum, aut aſperis maris obuiam*

iit,

iit, quantum impendio diligentiaque poterat. Quod curam publici frumenti attinet, certum mihi eſſe videtur, illam ſemper penes annonae praefectum et praefectum vrbi fuiſſe, non tamen excluſis imperatoribus, quorum quisque inter maxima imperii firmamenta haberet, vt et quamplurimum inuenitur apud Auctores veteres, plebem ab ipſo principe frugum copiam exigiſſe. De frumentantium genere TIBERIUS non quicquam addidiſſe videtur, ſed retentus ſine dubio eſt recenſus, a CAESARE inſtitutus, ad quem ciues cuiuscunque generis admittebantur, vti apud SENECAM eſt *Lib. IV. c. XXVII. Frumentum publicum tam fur, quam periurus, et adulter accipiant: et ſine dilectu morum, quisquis ciuis eſt.* Quin adeo Judaei non excludebantur, quos admiſſos eſſe ab AUGUSTO tradidit PHILO *in Legatione ad Caium.*

§. LV.

Frumentaria largitio CLAUDIO *imperatore.*

Sub CLAUDIO ſeditionem motam eſſe, quem in medio foro ius dicentem ita circumuaſit turbidis clamoribus plebs, et fragminibus panis appetiit, vt ſeptus militum globo aegre ſe in Palatium reciperet, TACITUS *Lib. XII. Annal.* auctor eſt. SUETONIUS *in Claudio* c. XVIII. addit, CLAUDIUM hac ſeditione commotum eſſe, vt inuehendos etiam tempore hiberno curaret commeatus. Quare propoſuiſſe

poſuiſſe eum negotiatoribus certa lucra, ſuſcepto in ſe damno, ſi cui quid per tempeſtates accidiſſet, et naues mercaturae cauſſa fabricantibus magna commoda conſtituiſſe, cum tamen eo imperante annonae praefectus eſſet C. TURRANIUS.

§. LVI.

Frumentaria largitio NERONE *imperatore.*

Similem in modum Imperator NERO pretium frumenti vsque ad ternos nummos minuit, cum vrbs deflagraſſet; attamen nihil largitus eſt, ſed potius praetextu huius incendii, ad quoddam tempus legitimo frumento plebem fraudauit; vti XIPHILINUS ſcribit *ἐπὶ τῇ προφάσει τῦ ἐμπρησμῦ τῶν Ρωμαίων το σιτηρέσιον παρεσπάσατο. Incendium cauſſatus frumentationem publicam ſuſtulit.* Quod igitur pretium minuiſſe refert TACITUS *Annal. XV.* fuit frumenti vaenalis ad ſubleuandas P. R. calamitates. NERONIS ſcilicet conſilium fuit, pretio leuiſſimo frumenti conſtituto vna eademque opera populum lenire ſibi infenſum, vt incendii auctori, et ſimulare tantam a ſe quoque factam iacturam, ut neque dare frumentum poſſet omnino gratuitum, et a prouinciis priuatisque collationes recipere, atque adeo efflagitare cogeretur. SUETONIUS *in Nerone* c. XXXVIII. Numerum frumentantium NERO primus auxiſſe dicitur a. *Chr. LXVI.* SILIO NERVA et ATTICO VESTINO

STINO *coſſ.* donato militibus praetorianis, qui erant eo ſeculo minimum decem millia, frumento gratuito. TACITUS *Annal.* Lib. XV. et SUETONIUS *in Nerone cap. X.*

§. LVII.

TITUM VESPANIANUM largiorem ſe praebuiſſe Populo ex inſcriptione vetere in horreis Palatinis, ex PANVINIO *in vrbe Roma* cognoſcere quis poſſet;

IMP. T. CAESARI.
DIVI. F.
VESPASIANO. AUG.
PLEBS. VRBANA.
QUAE. FRUMENTUM.
PUBLICUM, ACCEPIT.
ET. TRIBUS.

Sed inſcriptio iſta nec de largitione ordinaria ſumi poteſt, quia iſta ex *lege Clodia* iam debebatur populo, nec de extraordinaria, ob verba QUAE. FRUMENTUM. PUBLICUM et potius, vti ego ſuſpicor contra CONTARENUM ob exſtructionem horrei a. Chr. LXXXI. exſculpta eſt.

§. LVIII.

Frumentaria largitio DOMITIANO *imperatore.*

De *domitiana* aliqua largitione ſilent Auctores veteres, niſi velis, vti CONTARENUS fecit,

 locum

locum ex TACITI *Lib. IV. Annal.* de tali explicare. *Quia naues*, inquit, *ſaeuitia hiemis prohibebantur, vulgus alimenta in dies mercari ſolitum, cui vna ex Republica annonae cura, retineri commeatus, dum timet credebat.* Ego tamen non video, quomodo exinde largitio extraordinaria erui poſſit; de ordinaria hoc certe intelligendum eſt, quia frumentum publicum ex prouinciis frumentariis per claſſes aduehebatur, quam exſpectaſſe populum, ex hoc loco colligo. Eius imperatoris aeuo loco frumenti *panem* diſtribui inſtitutum fuiſſe, LIPSIUS aeſtumans JUVENALIS loco ſe fundat, qui *Satyra X.* de populo Romano notat:

> *— Duas tantum res anxius optat*
> *Panem et Circenſes.*

Sed inſufficiens eſt ratio, quoniam tam ad NERONEM, TRAJANUM et HADRIANUM, quam ad DOMITIANUM iſta dictio pertinere poteſt. Imo niſi videtur Poeta panis nomine vberem annonam ſignificare, ad Traiani aeuum ſane trahenda eſt panis vox, quem primum eosdem diſtribuiſſe non plane veritati abſimile eſt. Ad priorem tamen ſententiam malim equidem inclinare, cum idem JUVENALIS non panem, ſed frumentum notet *Satyra VII.*

> *Summula ne pereat, qua vilis teſſera vaenit.*
> *Frumenti.*


§. LIX.

§. LIX.

Frumentaria largitio NERVA *imperatore.*

Quid NERUA largitionibus hucusque ſolitis addiderit, detraxeritue, nemo notauit, et ſilent hiſtorici; numus tamen extat, in quo modius eſt, ſpicis refertus, cum hac inſcriptione:

Plebi Urbanae Frumento Conſtituto.



De verbo *conſtituto* non omnibus conſtat; Is qui a DOMITIANO panem fiſcalem inuentum eſſe dicit, pro *reſtituto* forſan accipiendum eſſe putabit. Alius de peculiari largitione accipiet. Mihi non ita videtur. Quid enim vetet, quominus *numus* iſte aut pro *pecuniae genere* ſumatur, qua ex prouinciis aliisque negotiatoribus frumentum coematur, aut pro *teſſera*, iis dari ſolita, qui recenſiti eſſent.

§. LX.

Frumentaria largitio TRAIANO *imperatore.*

TRAIANUS optimus Imperator commodiorem feciſſe frumentationem per panis loco frumenti diſtributionem ſunt, qui affirment, ſunt etiam, qui negent. Videamus vtriusque argumenta. LIPSIUS, qui perutile hocce inſtitutum TRAIANO adſcribit, omnem fidem ſuam collocat in AURELIO VICTORE *in Hiſt. Rom breuiario* cuius verba haec ſunt: *Romae a Domitiano coepta fora, atque alia multa, magnifice coluit ornauitque, et annonae perpetuae mire conſultum, reperto firmatoque Piſtorum collegio.* Jam concludit exinde LIPSIUS, *Si collegium piſtorum a Traiano, ad commodandum annonae: ergo et panis.* Juuari ſe a JUVENALI credit, illi aetati compare, qui

> — *Atque duas tantum res anxius optat*
> *Panem et Circenſes.*

Sed poſteriori loco nullum pondus eſt, niſi in comparatione cum VICTORIS, quia idem Poeta in Sat. VII. non panem nominat, ſed frumentum. Priorem non maioris ponderis eſſe, diſſentientes a LIPSIO contendunt, quorum primus eſt CONTARENUS, cui ego etiam eſſentiri nullus dubitarem, niſi alia eſſent argumenta, quam quibus LIPSIUS vſus eſt. Antequam vero illa ipſa proferimus, id

pro

pro certo ſtatuamus, intra TRAIANI et AURELIANI tempora cadere debere *panum diſtributionem*, et collegii piſtorum inſtitutionem. Ante enim TRAIANI tempora nulla panis mentio fit a quopiam ſcriptore; AURELIANUM vero panes dediſſe certum eſt, de quo nec LIPSIUS, nec CONTARENUS, LIPSII aduerſarius, dubitat. Attamen alia adhuc adſunt argumenta, quorum duo potiſſima in *Pandectis* deprehendi, cum a ICtis quibusdam piſtorum collegii mentio fit. Primus eſt CAIUS, qui ſub HADRIANO, PIO et MARCO vixit, et *in commentario ad Edict. prouinc.* ita ſcribit *in l. 1. D. quod cuiusc. univ. Collegia Romae certa ſunt, quorum corpus Senatus conſultis, atque conſtitutionibus principalibus confirmatum eſt: veluti piſtorum, et quorumdam aliorum, et nauiculariorum, qui et in prouinciis ſunt.* Ecce! piſtorum collegium et Nauiculariorum nominat; illi panes fiſcales coquebant, hi vocabantur, qui frumentum publicum nauibus aduehebant. PAULUS deinde, qui ſub SEUERO et CARACALLA vixit, in *Lib. Singul. de cognitionibus l. vlt. D. excuſat.* eadem ratione piſtorem collegii memorat: *Qui in collegio piſtorum ſunt, a tutelis excuſantur, ſi modo per ſemet piſtrinum exerceant: ſed non alios puto excuſandos, quam qui intra numerum ſunt. Vrbici autem piſtores a collegarum quoque filiorum tutelis excuſantur. Sed et hoc genus excuſationis eſt, ſi quis ſe dicit ibi domicilium non habere, vbi ad tutelam datus eſt. Idque Imperator* ANTONINUS *cum* Diuo Patre

ſignificauit CALLISTRATUS denique *Lib. de cognitionib.* in *l. 5. §. 3. Dig. de Jure Immunit. Negotiatores*, inquit, *qui annonam Vrbis adiuuant, item nauicularii, qui annonae vrbis ſeruiunt, immunitatem a muneribus publicis conſequuntur, quamdiu in eiusmodi actu ſunt. Item l. c. §. 5. Diuus Hadrianus reſcripſit, immunitatem nauium maritimarum duntaxat habere, qui annonae vrbis ſeruiunt.* Corpus piſtorum variis rationibus replebatur, originis vinculo quidam tenebantur, vt filii, nepotes &c. ſecundo per ſententiam iudicis et poenae loco in piſtrinum vrbis Romae ex cauſis non grauibus damnari iuſſi a Conſtantino M. l. 3. c. Th. de poenis, ita vt ne reſcripto quidem liberari poſſent; tertio ob ſingulares cauſſas nonnulli in piſtrinum dari iubentur, veluti concutiens piſtorem, patronus caudicariorum et menſorum deprehenſus in fraude, filiam piſtoris coniugio ſibi ſocians piſtrino obnoxius fiebat, imo ementes a piſtoribus praedia aut qui alio modo in eorum bona ſuccederent. Piſtorum igitur collegio et nauiculariis per SCta et principales conſtitutiones plura iura, beneficia et immunitates conſtituta ſunt, quorum paſſim in Pandectis et in Codicibus Theodoſiano et Juſtinianeo mentio fit, ab HADRIANO, *Diuis Fratribus* et ANTONINO potiſſimum editorum. Extat quoque vetus inſcriptio, quae NUMMIUM ALBINUM et FULVIUM AEMILIANUM conſules ſubſcriptos habet, quaeque ad annum Chr. CCVIII. referenda eſt

TI. CLAUDIUS. CHRESIMUS. OB. HON.
QUINQUENNALITATIS. COLLEGIO
DENDROPHOR. ROMANOR. QUIBUS.
EX SC. COIRE. LICET. ARGENTI. P. X.
ET H. S. X. MIL. N. REDDIDIT
QUAE. DIUISA. SUNT. POPULO. PER. GRADUS
X. AUG. COLLEGI. N.
NUMMIO ALBINO ET. FUL. AEMILIANO. COS.

Si igitur gradus iam tum extructi erant, qui tamen ad diſtribuendos panes iuxta piſtrina erecti, vti mox probabimus, nonne ſuſpicari poſſem, *panes* quoque tum temporis diſtribui ſolitos fuiſſe?

§. LXI.

De Pane loco Frumenti diſtributo.

Jam collige veſtigia, quae JUUENALIS, AURELIUS VICTOR, CAIUS, PAULUS, CALLISTRATUS et *vetus inſcriptio*, reiiquerunt, ſane id exhibetur, Hadriani temporibus extitiſſe piſtorum collegium qui panes fiſcales (h. e. non ita dictos, quod a fiſco donarentur, ſed quod e frumento fiſcali confecti eſſent, vt loquitur l. 4. C. Theod. de oper. publ.) excoquerent; nec tu credere velles iis temporibus loco frumenti panem eſſe diſtributum? Sane neſcio, quaenam certiora eſſe poſſunt. Ex mea igitur opinione non a parte CONTARENI ſtandum eſt, licet nec LIPSIO aſſentiar, cuius nimis leuia ſunt argumenta, quoad rem ipſam vero LIPSIO aſſentior. Victor Schotti, *Annonae* inquit,

inquit, *perpetuae a Trajano mire conſultum, reperto firmatoque piſtorum collegio.* Teſtatur et confirmat ſententiam noſtram inſcriptio, quae Romae reperta eſt:

JANI PARTHICI
DIUI. NERUAE. PRONEP. T. AELIO.
HADRIANO. ANTONINO. AUG. PIO.
PONT. MAX. TRIT. POTEST. VII.
IMP. II. COSS. III. PP.
CORPUS
PISTORUM.

In cuius baſi dextro latere eſt caniſtrum cum ſpicis, cum hac inſcriptione:

PRAEF.
L. VALERI. PROCULI.

Siniſtro lapis molaris cum hac inſcriptione:

CURANTIBUS
M. CAERET — — — ZMARAGDO
L. MAEUIO. EPICTETO. QUINQ. II.
QUAESTORIBUS
C. PUPIO — — — FIRMINO II.
C. CALPURNIO. MAXIMO.

Abhinc igitur omnia vetera loca, quae pauciſſima forſan ſunt, et frumenti mentionem iniiciunt, pro re nata explicanda ſunt, ita vt aut de extraordinaria frumenti cura intelligenda ſint, aut de eo frumento, quod per amnicos nauicularios per Tiberim ad horrea transuehebatur, vt exinde panes exco-

excoquerentur. Inſtituto iam piſtorum collegio, multa ſine dubio introducta ſunt, vt eo melius certus ordo frumentandi ſeruetur, vti Negociantium, Nauiculariorum, Caudicariorum, Menſorum, Catabolenſium et Mancipum certus numerus atque collegium. *Negotiantes* ſcilicet ii vocabantur, qui tam in vrbe, quam in prouinciis frumentum negociabantur; *Nauicularii*, qui et *Caudicarii* dicebantur, a nauibus Tiberinis, ſeu quae in fluuiis vſui erant, quas *codicarias* (FESTUS illas *caudicarias* naues appellat, quae ex tabulis craſſioribus factae; optime SENECA *de Brev. vit. cap. XIII. Plurium tabularum*, inquit, *contextus* caudex *apud antiquos vocabatur. Vnde publicae tabulae* Codices *dicuntur, et naues nunc quoque, quae ex antiqua conſuetudine per Tiberim commeatus ſubuehunt* Caudicariae *vocantur.* VARRO *de vita Pop. Rom. Lib. III.* GELLII *Noct. Attic.* Lib. X. c. XXV.) *et amnicos nauicularios vocant l. 1. C. Inſt. de Can. frum. Vrb. Rom. l. 2. C. Theod. de piſtorib. l. 9. C. Theod. de piſtorib. l. 9. C. Theod. de ſuariis vrb. Rom.* Eorum corporis mentio fit in *l. 1. C. Juſt. de hered. decurion. l. 11. l. 14. l. 20. C. Theod. de nauicul. Nouell. vnic. Valentiniani de nauicul. amnic. Caudicarii* igitur erant nautae Tiberini, qui annonam ad Portum vrbis Romae aduectam in horrea P. R. et ad Vrbem Romam Tiberi ſubuehebant caudicariis nauibus, quarum in tribus inſcriptionibus mentio fit.

prima:

prima: PROC. PORTUS. VTRIUSQUE. A — — —
VIRO. INNOCENTISSIMO. CODICARII
NAUICULARII ET QUINQUE
CORP. NAUIGANTES

ſecunda Romae in baſi marmorea:

D. N. IMP. FL. VAL. CONSTANTINO
CODICARII NABICULARII
INFERNATES, DEUOTI. N. M. Q. EIUS
CURANTE. AUR. VICTORIANO. V. P.
PRAEF. AMN.

tertia eſt decantata illa, quae in Inſula Tiberina inuenta:

Rexit annonariam Poteſtatem Vrbis aeternae &c.
Hinc etiam factum eſt, vt Menſores nos
Portuenſes, quibus vetus fuit cum Caudicariis
Diuturnumque luctamen voti compotes
Abiremus, et vtrumque corpus et beneficio
Se et victoria gratuletur adſectum: nam
Vt hoc eſſet indicio, iam poſito magiſtratu
Statuam patrono praeſtantiſſimo, teſtimonium
Gratulationis exſoluimus cum res non adulatione
Priuato ſed iudicio poſito in otio et quiete
Reddatur.

Catabolenſes, quos in Sitobolenſes quidam non recte mutant, denique fuerunt, qui onera fiſcalia Romam

veterinis

veterinis comportarent; qui, cum piſtoribus iunguntur, ii dicendi ſunt, qui frumenta aduecta a nautis Tiberinis, horreis inferre, ſiue eadem in piſtrina transferre, ſiue coctos inde panes ad gradus transportare, aut aliud onus fiſcale debent. Dicti fortaſſe *ἀπο τȣ̃ καταβαλλειν ab onerando*, quod iumenta his rebus onerarent, ſimiles adeo agaſonibus noſtris, quibus ad ferenda in molas frumenta, farinamque referendam vtimur. *l. 8. et rubr. C. Theod. de piſtorib. et Catabolenſib:* CASSIODORUS *Lib. III. Variar. cap. X. Declaramus*, inquit, *vt marmora, quae de domo Pinciana conſtat eſſe depoſita, ad Rauennatem Vrbem per Catabolenſes veſtra ordinatione dirigantur.* Idem Lib. IV. Var. 47. in fin. *Quin etiam onere centum librorum nullus excedat.* Et mox: *Et ideo quinquaginta ſolidorum mulctam iam non veredarius, ſed Catabolenſis incurrat, quisquis vltra centum libras parhippum crediderit onerandum.* CUIACIUS *Obſerv.* Lib. XVI. c. V. *Menſores* dicebantur, qui aduectum ad Portum U. R. frumentum admetiebantur in horreis condendum, et rurſum cum inde promeretur Romam per caudicarios ſubuehendum.

Mancipes denique, ſiue *mancipes piſtorii*, (vnde *mancipatus piſtorius*) ſunt, qui paneficio et piſtoribus praepoſiti erant, ex Socratis ſcilicet ſententia, vt igitur iisdem fuerint cum iis, quos Juſtinianus Nov. 80. *προεςῶτα τῶν ἀρτοποιητικῶν ἐργαςηρίων* vocat. Diuerſos fuiſſe mancipes a piſtoribus, ex

nonnullis

nunnullis legibus C. Th. patet; nempe his canonem conſignatum fuiſſe ad panem coquendum l. 2. C. Th. de frum. Vrb. Conſtant. item datam his aliquando mutui nomine pecuniam, ex publica pecunia dedicata ad coemtionem frumentariam l. 3. C. Th. eod. Item l. 4. C. Th. de executor. oſtendit, apparitores praefecti praetorio pro poena quandoque mancipum corpori ſociatos. Imo et piſtores dicebantur mancipes de quibus l. 18. C. Th. de piſtor. et Catabol. l. 2. 3. C. Th. de frum. Urb. Conſtantinop. l. 4. C. Th. de executorib. vnde et miniſterium iſtud *mancipatus* vocabatur l. 18. C. Th. de piſtor. et Catabol. Hi omnes non tantum ſub generali Praefecti Vrbis diſpoſitione fuerunt quod docent l. 1 — 13. C. Th. de Piſtor. et Catab. ſed etiam ſub ſpeciali Praefecti annonae l. 3. 14. 15. 21. C. Th. de piſtor. et Catabol. l. 3. 6. C. Th. de Poenis. *Piſtrina* erant aedificia, vbi frumentum et reliqua ad annonariam largitionem pertinentia ſeruabantur, quae Socrates Lib. V. cap. 18. ὄικους παμμεγέθους vocat, eorumque in veteri Vrbis Romae deſcriptione CCLIV. colliguntur. ἦσον ἐξ ἀρχαίου, inquit, κατὰ τὴν μεγίστην Ρώμην ὂικοι παμμεγέθους. ἐν οἷς ὁ τῇ πώλει χορηγούμενος ἄρτος ἐγίνετο, ὅιτε προισάμενοι τούτων οἱ Μάγκιπες τῇ Ρωμαίων γλώσσῃ καλοῦνται. et mox γνοὺς τοῦτο ὁ βασιλεὺς τοὺς Μάγκιπας ἐτιμωρήσατο. Singulis piſtrinis ſua entheca erat, puta animalia, ſerui, molae, prae-

praedia et poſſeſſiones, piſtorum corpori ſalaria certa praebebant, vnde et fundi dotales dicti. Quae de piſtorum, nauiculariorumque collegio hic amplius dicere poſſem, differenda ſunt ad explicationem peculiarem Codicis conſtitutionum, per quas formatum potiſſimum eſt. De panibus ſolummode diſtribui ſolitis, et modo diſtribuendi pauca tantum addamus, quia ſimul cum piſtorum inſtituto introducta iſta omnia fortaſſe ſunt. Panes igitur iſti a catabolenſibus ad gradus portabantur, ibique a piſtoribus diſtribuebantur teſſerariis, non igitur clanculum e piſtrino, ſed palam de gradibus, vt conſtitutum eſt in *l. 3. et 4. C. Theod. de annon. civ.* etiam a gradibus palatii principum diſtributi ſunt, vnde *panes palatini* a SUIDA vocantur, et *gradiles* a gradibus ita dicti, qui in vnaquaque vrbis regione ad piſtrina aedificati erant; quod indicat PRUDENTIUS *aduerſus Symmachum Lib. 1. v. 584.*

> *Et quem panis alit, gradibus diſpenſus ab altis.*

Et CASSIODORUS *Lib. IX. Variar.* CUIACIUS *Obſ. Lib. XXVI.* cap. *XVII.* numum vidiſſe fatetur, in quo gradus hi expreſſi erant, ſimul et qui eos aſcenderet in ſummo panem accipiens de piſtoris manu. De gradili iſto pane omnia peruulgata ſunt, *Tit. C. Theod. de annon. civ. et pane gradili. Jac.* GOTHOFREDUS in not. ad l. 2. l. c. TURNE-

BUS *Lib. XI. Aduerſ. cap. VI. Lib. XXVI. c. XXXIV.* et LIPSIUS *Elect. Lib. I. c. VIII.* idem *de magnit. Rom. II. c. X.* Quinam vero hi gradus fuerint, non inter omnes conſtat. Certi non amphitheatrales, ſed tamen diſtincti et ſeparati per omnes vrbis regiones, vti PRUDENTIUS *adv. Symmachum* Lib. II. v. 948. de annonae abundantia loquitur:

Quis venit eſuriens magni ad ſpectacula Circi
Quae regio gradibus vacuis iamiam dira
Suſtinet? aut quae Ianiculi mola mota quieſcit?

Et omnium manifeſtiſſime *Vetus Vrbis Conſtantinopolitanae deſcriptio* ſub THEODOSIO jun. conſcripta id demonſtrat; vbi per ſingulas vrbis regiones gradus certo numero deſignantur, qui proximi a piſtrinis fuerunt, vnde panis coctus promebatur; quod videri poteſt tam ex deſcriptione iſta modo dicta, quam ex legibus VALENTINIANI in *Tit. C. Theod. de annon. ciuiv. et pane gradili*, et potiſſimum ex l. 3. l. 4. l. 5. l. 6. cit. quae ad Vrbem Romam pertinent, non minus quam ex PRUDENTII loco. In iſtorum graduum edito, ſiue tabulato, erat annona ſiue panis repoſitus, poſitique ibi, qui diſtribuerent: ſingulis e populo, viritim palam, per gradus aſcendentibus atque in ſummo gradu annonam accipientibus. Alio loco igitur diſtributus eſt hic *panis gradilis*, quam quo olim mimbi miſſilium ſparſi, exceptiue: hi enim in vulgus ſpargebantur, atque a populo in gradibus

bus theatralibus, vel in circo vel alibi extra ordinem conſtituto excipiebantur. At panis gradilis non ſpargebatur, ſed diſpendebatur, erogabatur de manu in manum in edito graduum. Hi *gradus publici* erant; alii *priuati*, in quibus priuati homines frumenta ſua reconderent, quo pertinet CASSIODORI illud IX. Var. v.

Panum *palatinorum*, *popularium*, *militarium ciuilium*, *fiſcalium et Oſtienſium* adhuc mentio iniicitur, quos explicare non alienum erit. *Palatini* erronee a Suida (quem ideo Cuiacius damnauit) cum *popularibus* confunduntur. παλατῖνοι, inquit, εἶδος ἄρτων, ὃς ἐφιλοτιμήσατο τῷ δήμῳ Κωνςαντῖνος ὁ μεγας: ὅτος ὀνομάσας ἀυτȣ̃ς οἷα ἐκ τȣ παλατίȣ χορηγȣμένȣς. Palatini ab objecto dicti fuerunt panes, quod palatinis praeberentur, pariter vt *populares* et *militares*, non a loco vnde praeberentur, quod apertiſſime docet l. 7. C. Th. de ann. civ. pane gradili. *Ciuiles* nempe contradiſtinguebantur *militaribus;* milites enim vt ſtipendii partem eius generis accipiebant *Tit. C. Theod. de erogat milit. annon. Lib. VII. Tit. IV.* et *Tit, C. Juſt. Lib. XII. Tit. XXXVIII.* Quapropter ſimilem in modum ciuiles dicti, vt *annona civica et annona militaris. Oſtienſis panis* ita dictus, quia ad portum oſtienſem canon fiſcalis omnis ſubvehebatur, inque eo portu piſtores horrea cellulasve habuere, quod apertiſſime teſtatur *l. 4. C. Theod. de Canone frument. U. R.*

R. *Panis fiſcalis* diſtinctus adhuc eſt ab eo qui, ciuilis dicebatur, licet vterque ſumtu publico erogabatur; fiſcalis enim e frumento fiſcali, vel ex fiſcali copia expendebatur.

§. LXII.

De numero frumentantium.

De frumentantibus eorumque numero, a Traiano aucto, etiam pueris admiſſis PLINIUS auctor eſt *in Panegyrico*: *Tu ne rogari quidem ſuſtinuiſti; et quamquam laetiſſimum oculis tuis eſſet, conſpectu Romanae plebis impleri, omnes tamen antequam te viderent, recipi, incidi iuſſiſti, vt iam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur.* Imo et numerum frumentantium expreſſit PLINIUS: *Paulo minus*, inquit, *quinque millia ingenuorum fuerunt, quos liberalitas principis noſtri conquiſiuit, inuenit, adſciuit.*

§. LXIII.

De frumentaria largitione HADRIANO *imperatore.*

Poſt TRAIANI tempora nonnulla adhuc ſcriptorum loca obueniunt, vbi mox frumentariae largitionis mentio fit, mox duntaxat curae principis circa annonam. Iſta loca ego mallem de extraordinaria frumenti diſtributione intelligere, quam de ordinaria; reliqua, quae de cura imperiali teſtantur, non occaſionem dare debent cuipiam ad credendum, peculiares frumentarias largitiones

gitiones easque extraordinarias ſubintelligendas eſſe, vti CONTARENUS male feciſſe mihi videtur, ſed potius ſtatuendum eſt ſumma ex ratione, perpetuam Imperatorum frumenti curam fuiſſe ſimul cum Praefecto Vrbis, Praefecto annonae, et Proconſulibus, vti id videri poteſt, ex omnibus fere conſtitutionibus Codicis Theod. et Juſtinianei, quae de annona agunt. Quapropter ego quoque arbitrarer, ea ratione recte a me explicatum iri ea, quae antiquitas iſtius generis nobis ſeruauit documenta. Videamus igitur viciſſitudines largitionis frumentariae ſub imperatoribus ſequentibus, in quantum per nos huius generis aliquid determinare ſtabit. Atque de HADRIANEA aliqua largitione frumentaria nihil habeo, quod dicam, quia de tali ſcriptores ſilent. Id tamen innouatum eſſe ab eodem videtur, quod Senatores in frumentantium numerum retulerit, vti SPARTIANUS auctor eſt: *Senatoribus*, inquit, *qui non vitio ſuo decoxerant patrimonium pro liberorum modo Senatoriae profeſſionis expleuit, ita vt plerique in diem vitae ſuae dimenſum ſine dilatione reſtituerit.* Imo et alio modo frumentantibus, TRAIANI forſan liberalitate commotus, conſuluit, dum *pueris* incrementum liberalitatis ſuae adjecit, vti iterum SPARTIANUS ſcribit: *Pueris ac puellis, quibus Traianus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit.* De priuilegiis, quae piſtorum collegio et nauiculariorum ex ſingulari gratia ſimulque ob ſalutis publicae ſtu-

dium conceſſit, teſtimonia in Pandectis extant, et quidem in *l. 5. §. 5. D. de Jure Immunit.* *Diuus Hadrianus*, notauit ibi CALLISTRATUS, *reſcripſit, immunitatem nauium maritimarum duntaxat habere, qui annonae vrbis ſeruiunt.*

§. LXIV.

De frumentaria largitione ANTONINO PIO *imperatore.*

De ANTONINO PIO, quem HADRIANUS habuit heredem, apud CAPITOLINUM haec leguntur; *Vini, olei, et tritici penuriam per aerarii ſui damna emendo, et gratis populo dando ſedauit.* Populum enim lapidibus petiiſſe ob frumentariae rei inopiam ANTONINUM, auctor eſt AURELIUS VICTOR. Quo forſan commotus erat, vt extra ordinem frumenti curam gereret; quod veteres nummi indicant, quorum multi extant cum hac inſcriptione:

ANNONA AUGUSTA

hoc eſt, imperatore curaote copioſe Vrbi illata eſt annona. De hisce nummis lege *Antonium* AUGUSTINUM *Dialogo II.* Ex hoc, vti etiam ex aliis eius generis locis, demonſtrare vult CONTARENUS, frumentum, non panem, a TRAIANO et ſubſequentibus imperatoribus diſtributum eſſe; ſed ille ipſe concedit, hanc, vti ceteras frumentationes, quas reperiit, extraordinariam eſſe, et mihilominus inde argumentum format, pro ſua opinione? neſcio

ſane

ſane, quomodo acutus iſte vir id poſſit. Quis enim vmquam argumentum ab extraordinaria largitione ad ordinariam valere credidit? CONTARENUS ſane vnicus eſt, dum inquit: *Quamquam autem haec extra ordinem largitio videtur in annonae caritate, quid tamen cauſſae fuerit, quamobrem frumentum, non panis populo daretur, non video; ſi piſtorum collegium ea tantum gratia fuerat inſtitutum, vt gratuitum panem conficerent.*

§. LXV.

M. Aurelii Antonini Philoſophi extraordinaria frumenti largitio.

M. AURELIUS ANTONINUS PHILOSOPHUS cum L. VERO, quem Auguſtum dixerat, LUCILLAM filiam deſpondit, *ob hanc coniunctionem,* vt ait Capitolinus, *pueros et puellas nouorum hominum frumentariae perceptioni adſcribi praecepit.* Vbi ſine dubio legendum eſt cum LIPSIO *pueros et puellas nouem annorum.* Quis enim nouus homo? quin etiam alios imperatores in congiariis ad annos reſpexiſſe, certum eſt teſte CAPITOLINO *in Pertinace; Alimentaria compendia, quae nouem annorum ex inſtituto Traiani debebantur, obdurata verecundia ſuſtulit*: et SUETONIO *in Auguſto*, Cap. XLI. *qui congiaria populo frequenter dedit: ac ne minores quidem pueros praeteriit, quamuis nonniſi ab vndecimo aetatis anno accipere conſueuiſſent.* CONTARENUS hanc vti

ſolet pro ordinaria largitione ſumit, et LIPSIUS errare videtur, dum arbitratur, ANTONINUM numerum ſrumentantium per idem illud inſigniter auxiſſe.

§. LXVI.

Alexandri Seueri cura frumentariae largitionis

ALEXANDER SEUERUS tantam rei frumentariae publicae curam geſſit, vt ſeptem annorum canonem moriens reliquerit, ita vt quotidie LXXV. modium millia expendi poſſent, cuius memoriae auctor eſt SPARTIANUS. Alium adhuc modum, per quem bene de populari ſalute meritus eſt ALEXANDER, LAMPRIDIUS in eius vita memorat, his verbis: *Oleum, quod* SEVERUS *populo dederat, quodque Elogabalus imminuerat, turpiſſimis hominibus praefecturam annonae dando, in integrum reſtituit.* SPARTIANUS *in Seuero: Olei*, inquit, *tantum reliquit, vt per quinquennium non ſolum Vrbis vſibus, ſed totius Italiae, quae oleo egeret, ſufficeret.* Licet olei diſtributio, principumque iſtius cura, nunc pro inſtituti ratione nihil ad nos pertinere videtur; non tamen plane hanc praetermittere poſſumus, quia infra occurrent nonnulla, quae absque hac breuiſſima enarratione enodari nequeunt. Olei, nempe diſtributio, cuius multiplex et magnus Romanis vſus erat, primis reipublicae temporibus, tanquam extraordinaria largitio nonnunquam facta

eſſe

eſſe videtur, vti LIVIUS *Lib. XXV. de* SCIPIONE AFRICANO auctor eſt, qui cum Aedilis eſſet, congium olei in vicos ſingulos dedit. Repetita iſta quoque quandoque eſt, et vsque ad CONSTANTINUM M. durauit. SYMMACHUS *Lib. X.* Epiſt. XLVIII. *olei tantum* ſpecies victum plebis tenuiter inuecta ſollicitat. Cuius rei V. C. Praefectus Annonae partium ſuarum diligens executor praetorionae ampliſſimae praefecturae, vt ipſe aſſerit, dudum fecit indicium, miſſis de more breuibus, quae anguſtias patefacerent conditorum. Notatu dignior adhuc eſt carnis porcinae largitio, quae cum AURELIANO orta eſt, et diuturna fuit, teſte FLAVIO VOPISCO *in eius vita: Idem et carnem porcinam Populo Romano diſtribuit, quae hodieque diuiditur.* Haec quoque largitio ad longius tempus patuit, quam olei et vini, quod eundem AURELIANUM diſtribuiſſe VOPISCUS teſtatur, atque quaſi in perpetuum ius tranſiit, vti apud CASSIODORUM eſt; *Suarii quoque*, inquit, *Romanae copiae cauſſa reperti, tuo* (ſcilicet praefecto annonae) *deputati videntur examini.* Suariorum, quorum carnis diuidendae cura erat, mentio quoque fit in inſcriptionibus, imo et in *Codice Theodoſiano Lib. XIV. Tit. IV.* et *Juſtinianeo Lib. XI. Tit. XVI. de Suariis et Suſceptoribus vini et ceteris corporatis.* Verum enim vero nolumus longius a via noſtra aberrare, ſed perſequamur inſtitutum noſtrum. Quodſi quando occurrat in continuanda explicatione locus, qui

ad eius generis largitiones ſe referat, ſufficiat non plane ignota eſſe haec omnia lectori.

§. LXVII.

Aureliani extraordinaria largitio frumentaria.

AURELIANUM Imperatorem tandem panem loco frumenti populo dare incoepiſſe CONTARENUS putat, hac ſingulari plani ratione commotus: AURELIANUS ſcilicet, vti VOPISCUS tradit, ſuſcepta in Orientem expeditione, bilibres coronas Populo Rom. pollicitus, ſi victor rediiſſet, Populo, qui aureas expectabat, ex panibus dedit, inde a quo tempore ſemper ſeruatum fuiſſe morem huncce. Sed miror ſane, quomodo acutus iſte vir iſta proferre poſſit, nec videat, extraordinariam largitionem hanc eſſe. Quodſi enim velis ordinariam largitionem ita ab AURELIANO transmutatam fuiſſe, neſcio cur populus committeret, vt AURELIANUS ad promiſſionem ſibi factam adimplendam nonniſi ordinariam transmutaret. Si igitur ne prius, quam ab hinc panes dari conſueuerunt, ſequitur abſurdum eſſe, ſi piſtorum collegium iam prius inſtitutum fuit, piſtores publicos eorumque collegium adeſſe, vbi non opus eſt panibus. Aſt adfuerunt piſtores, adfuit piſtorum collegium, multis priuilegiis immunitatibusque firmatum, adfuerunt piſtrina et gradus, quorſum haec omnia, niſi

niſi velis abſurda exiſtere? Omnia ergo contra te ſunt Contarene!

Aliud largitionis genus ab Aureliano vſurpatum magis explicitum eſt, cuius meminit in epiſtola ad Praefectum annonae apud eundem Vopiſcum his verbis. *Inter cetera quibus Diis fauentibus Romanam rem iuuimus, nihil mihi eſt magnificentius, quam quod additamento vnciae omne annonarum vrbicarum genus iuui.* Occaſio huius largitionis ſcilicet fuit, quod Aegyptium vectigal valde auctum tum temporis erat, hocque, quod acceſſerat, Aurelianus donari Populo Romano ſtatuit, ita tamen, vt quod in ſe erat, nemo expers eſſet huius largitionis. Quapropter iuſſit, vt piſtores, qui panes in vrbe vaenales conficiebant, certi in aſſes v. g. ponderis pro annonae modo, vt fit hodieque, panibus ſingulis vnciam adderent, quam ipſe gratuitam amentibus dabat, damna piſtorum frumento Alexandrino ſarciendo. Aliud huius largitionis teſtimonium apud eundem eſt in vita Aureliani: *Panibus vrbis Romae vnciam de Aegyptio vetligali auxit.* Et ZOSIMUS *propter haec*, inquit, *et panum honorario munere populum Rom. donauit.*

§. LXVIII.

De aerario ad frumentariam largitionem ordinariam ſuſtinendam.

Jamiam eo peruenit frumentaria res, vt certum atque perpetuum ius quoad illam ſtatueretur

per

per ſolas principum conſtitutiones tum generales tum ſpeciales, ad hanc vel illam prouinciam, praefecto annonae, proconſuli miſſas, ita vt neceſſe ſit, quo omnia plenius pertractata videantur et abſoluta, eas illuſtrare adhuc, quae plurimum frumentariis largitionibus addiderunt. Atque primum quidem, quod offendere aliquem poſſit, vnde aerarium tantam menſtruam largitionem ſuſtinere potuerit, quantam hucusque vidimus. Aſt niſi praediis atque poſſeſſionibus certae penſiones quotannis praeſtandae iniunctae fuiſſent, certe non potuiſſet non fieri, quin non ſoluendo eſſet aerarium tantae multitudini. Inde multa deprehenduntur Imperatorum reſcripta, quae de iſtis penſionibus earumque modo diſponunt, vbi pertinet reſcriptum VALERIANI et GALLIENI in *l. 1. C. Iuſt. de annon. et trib.* quod annonas is ſoluere debeat, qui poſſeſſiones tenet, et fructus percipit, non qui heres defuncto extitit. Et deinde, quod a DIOCLETIANO et MAXIMIANO ſcriptum in *l. 3. eod. indictiones non perſonis, ſed rebus indici ſolent: et ideo ne vltra modum earundem poſſeſſionum, quas poſſides, conueniaris, praeſes prouinciae proſpiciet.*

§. LXIX.

Conſtantini M. conſtitutiones ad frumentariam largitionem de immunitate a conferendis annonis concedenda.

CONSTANTINUS M. per plures conſtitutiones rei frumentariae curam geſſit, quarum aliquae in Codice

Codice Theodoſiano, aliquae vero in Juſtinianeo nobis aſſeruatae ſunt. Illarum praecipuae initio imperii eius editae ſunt, quibus enixo ſtudio prouidit, ne rei tributariae ad ſuſtentandam publicam annonam fraus fieret. Prima habetur in *l. 1. C. Theod. de annon. et tribut.* cuius poſterior pars haec eſt: *omnes penſitare debebunt, quae manu noſtra delegationibus adſcribuntur, nihil amplius exigendi. Nam ſi qui vicarius, aut Rector prouinciae aliquid iam cuiquam crediderit remittendum, quod aliis remiſerit, de propriis dare facultatibus compelletur.* In priori vero parte conſtitutionis quatuor exceptiones ſtatuit, quibus immunitatem a conferendis annonis conceſſit, *rebus priuatis principis, eccleſiis catholicis, Euſebii familiae, et domui Arſacis regis Armeniorum.* Altera extat in l. 2. C. Th. eod. qua apochas, ſolutione facta, a ſuſceptore tributorum acceptas ad Tabularios vel Sexagenarios deferri iubet, ne falſis apochis fraus fiat. Et tertia denique eſt, qua fraudibus omnibus occurrebat in l. 3. C. Th. eod. quae committi poterant in facienda adſcriptione modi annonae. Rectores ſcilicet prouinciarum manu propria illum deſignare debebant, poſtquam indictum prouincialibus eſſet, canonem annuum praeſtandum eſſe. Vt autem hisce conſtitutionibus lucem aliquam afferamns, neceſſe eſt, vt hic notemus ad collationem annuae praeſtationis indictionem fieri ſingulis annis, cuius haec forma erat, quod edictum principis emitteretur anniuer-

ſariis

ſariis vicibus, cui modus erat adſcriptus manu principis. Huius indictionis particulares indictiones a ſcriniariis praefecti praetorio fiebant, quae per ſingulas prouincias transmittebantur, locisque celeberrimis publicabantur, quatuor menſibus antequam collatio fieri debebat. Poſt publicatam indictionem fiebat partitio, ſiue adſcriptio, prout quisque terras cenſibus inſertas, ſiue obligatas teneret. Adſcriptione facta fiebat exactio, et denique inlatio atque ſuſceptio a ſuſceptoribus, quae ibi facienda erat, vbi poſſeſſiones cenſibus inſertae erant; quo facto a ſuſceptoribus apochas accipiebant, easque acceptas deinde ad Tabularios ſeu Sexagenarios deferebant. Perferri poſtremo oportebat ſuſceptas ſpecies, h. e. annonas a poſſeſſoribus ad ciuitates ſingulas per ſingulos menſes, et quidem vel ad horrea, vel tantum ad limitem pro loco ac proximitate poſſeſſionem non longius. Quodſi vero longius transmittendae eſſent, tunc mari vel flumine per Nauicularios perferebantur.

§. LXX.

De Piſtorum fraudibus ad declinandam piſtoriam functionem.

De piſtoribus extat reſcriptum in l. 1. C. Th. de piſtorib. et catabol. Reſcriptum eſt ad Profuturum praefectum annonae, cui ſubjecti erant piſtores, teſte CASSIODORO in formula praef. ann.

Lib.

Lib. 6. form. 18. *Per officinas*, inquit. *piſtorum diſcurris, penſum et munditiem panis exigis;* occaſio ſcilicet reſcribendi erant fraudes a piſtoribus commiſſae, qui fraudulenter bona ſua in alios transferebant, vt poſtea, rebus in abdito locatis, tamquam minus idonei piſtoriae functioni liberarentur, eisque alii ſubrogarentur. His fraudibus CONSTANTINUS conſtitutione hac grauiter occurrit. *Cunctis Piſtoribus intimari oportet, quod ſi quis forte poſſeſſiones ſuas ideo putauerit in alios transferendas, vt poſtea ſe, rebus in abdito conlocatis, minus idoneum adſeueret, tanquam in locum eius alio ſubrogando, nihil ei haec aſtutia, nec deteſtabilia commenta profutura ſunt, ſed in obſequio piſtrini ſine vlla excuſatione durabit, nec ad eius iura revocabuntur, ſi quas emtiones tranſcripſerit.*

§. LXXI.

De frumento aeneo.

Peculiaris CONSTATINI conſtitutio extat in *l. vnic. C. Th. de frumento Carthaginenſi*, quae interpretum ingenia mirum in modum exercuit. *Si quis corpora*, inquit, *aeneo frumento obnoxia detraxerit, ab omni interpellatione liber ſit, quamuis alia corpora poſſederit, ſive coemerit libera ab aenei frumenti inquietudine: comparatores enim rerum obnoxiarum teneri oportet, pro modo eius rei, quam adepti ſunt, etiam ſi extra liberalitate rem fuerint conſecuti. Sed quia plerique ex magiſtratibus, aenei frumenti penſitatione*

tione obnoxii, vel ipſi ſibi dum adminiſtrant, alios ſubrogarunt, vel redemti pro aliis alios creauerunt, reſciſſis ſubrogationibus ad eiusdem aenei frumenti penſitationem teneantur: illos enim ſolos ex ſubrogatis perſeuerare oportet, quos conſtiterit idoneos eſſe facultatibus et minus idoneorum loco non a redemtis Magiſtratibus ſubrogatos. Dat. Prid. Id. Dec. Sirm I., Conſtantino A. IV. et Licinio IV. coſſ. (315) Primo de verbis ſolliciti ſimus, poſt de conſtitutionis ſenſu. *Corpora* hic pro *rebus* ſumi debere in aprico eſt; deinde loco *detraxerit* legendum ſane eſt *diſtraxerit*, et *poſſideat* loco *poſſederit*, *liberalitatem* loco *liberalitate*; *redemti* ſine dubio hic dictum pro *corrupti pecunia aut gratia.* Quod ad ſenſum in eo latet difficultas, quid ſit *frumentum aeneum.* Omnem litem dirimere volunt, qui pro *aeneo frumento* reponunt *Poeno frumento*, quod vero non admittendum ex triplici hac ratione, quia 1) non de Africano in vniuerſum frumento, ſed de Carthaginenſi tantum agitur, 2) nuſpiam in conſtitutionibus vox haec vſurpatur, et denique 3) contextus aliud ſuadet, uti ex ſequenti tractatione apparebit. Alii *aeneum frumentum* dictum eſſe perhibent a *modiis aeneis* frumenti, de quibus in l. modios aeneos 21. C. Th. de Suſceptoribus, cuiusmodi Romae erat in Minucia frumentaria, ad quam populus ſtatis diebus frumentatum veniebat. SUIDAS voc. Μαναΐμ. ἔνθα, inquit, ἵςατο μόδιος χαλκῦς. Alii dictum *aeneum* eſſe putant,

vt

vt popularem annonam, quae ex *aeneae* ſiue *aereae* tabulae praeſcripto populo Carthaginenſi diuidebatur, ſeu ex teſſera ſorte aenea. *Cironius* L. IV. *obſ. Jur. canon.* cap. 3. Verum hoc nihil eſt, quoniam hic non agitur de annona, quae ex fiſco, ſiue de publico, populo praebebatur, ſed contra de eo frumento, quod a priuatis ex certis corporibus et rebus penſitabatur. Alii aeneum dictum eſſe putant, quod olim omnes illationes et tributa aere expendebantur. Alii onaeum ſ. onetum frumentum hic indicari, quod extra ordinem vendere quis publice cogebatur. Alii denique paganicae ſuperſtitioni et voluptatibus ſ. ludicris miniſteriis, quibus Carthaginenſes maxime indulgebant, id adſcribendum eſſe cenſent, quia certum eſt Carthaginenſes hoc ſeculo mirae ſuperſtitionis cultores fuiſſe l. 20. *C. Th. de paganis, ſacrif. et templis.* Ad hanc quoque voluptatum et ludorum curam magiſtratus creatos eſſe tam ex hac lege, quam ex *Tit. de Decurion. et Tit. de ſpectaculis* veriſimile eſt. Sed tamen non niſi coniectura eſt, nec quicquam certum; vbi et illa Gothofrediana coniectura pertinet, quod forſan frumentum hocce ad pabulum animalium, voluptatibus publicis ſeruientium pertineat, et inde quaſi *aerinum* frumentum legendum ſit, quod ex lolio, tritici vitio, conflatum. PLINIUS Lib. XXII. et XXVI. et LXVIII. c. 17. Ex l. 12. C. Th. de piſtoribus et Catabolenſ. diſcimus adhuc, Conſtantinum corpori piſtorum per

ſingularem legem conſuluiſſe, cum eidem certum officii genus in Africa addiceret, vnde ſingulis quinquenniis aliqui Romam ad piſtorum corpus mitterentur. De quo videamus infra.

§. LXXII.

De Olei diſtributione.

Ad olei diſtribuendi morem ſpectat CONSTANTINI conſtitutio, quae eſt in l. *un.* C. Th. de *menſis oleariis. Menſae oleariae, quae ita caducae fuerint, vt nullius poſſit adhaerere dominio, vicenis follibus per Officinam diſtrahantur. Sed ſi quis menſam oleariam, praedictis follibus emtam, cariore pretio vendiderit, ferreis vinculis conſtrictus ad Illyricum transmittatur, poenam congruam luiturus. Si quis autem menſam oleariam in dominio ſuo retinens, viuendi curſum impleuerit, eandem menſam ad ſucceſſores proprios, cum reliquis ſuis rebus, hereditario poterit iure transmittere. Dat. Kal. Mart. Nicomediae. VIII. Id. April. Romae Januario et Inſto. coſſ. 328.* Oleum pariter vt panem gratuitum datum populo Romano notauimus ſupra. Modus autem olei, qui ſingulis praeſtabatur, menſa olearia vocata eſt; *menſa* forſan pro *dimenſa* poſita, ſiue *dimenſione*, vt *miſſa* pro *miſſione*, vt id genus alia. Non tamen, vti inſulſe quis putare poſſit, hoc eſt accipiendum de menſis Oleariorum ἐλαιόπωλων, qui in velabro menſas ſuas habebant, de quibus PLAUTUS *in Captiuis Act.* III. ſcen. I. v. 28. 29.

Pargo

Pergo ad alios, venio ad alios: vna res
Omnes compacto rem agunt, quaſi in velabro
Oleariis.

Neque menſae iſtae oleariae interpretandae ſunt, in quibus expoſitae erant menſurae oleariae, quae pertinebant ad ἐλαιοπώλας. Menſas has olearias, ſiue olei diſtributionem ad annonae praefectum pertinuiſſe ex inſcriptione legis huius apparet, quippe quae ad Praefectum annonae directa. Jam vero ius nouum, quod Conſtantinus hac lege ſanxit, eſt, vt iure hereditario cum reliquis rebus ad ſucceſſores teſſerae oleariae transmitterentur, et ſi quando caducae factae fuerint; ad fiſcum redeant, eas per Officiales praefecti annonae vendi iubet Conſtantinus viginti follibus, qui ſunt certa nummorum aereorum ſpecies, et hac aetate valde vſitati erant, duplici tamen ſignificatu, mox maiorem, mox minorem pecuniam ſignificantes.

§. LXXIII.

De ſuariis et carnis porcinae diſtributione.

De Suariis, ſiue Porcinariis extat quoque reſcriptum CONSTANTINI ad Praefectum praetorio in *l. 1. C. Th. de Suariis, pecuariis et ſuſceptoribus vini ceteriſque corporatis.* Illi nempe, vti iam ſupra generatim tantummodo explicatum eſt, munus publicum habebant, quod verſabatur in porcina car-

ne ſuſcipienda et populo Romano praebenda. Conferebatur ſcilicet quotannis, tributi nomine ex certis prouinciis et Italiae regionibus a poſſeſſoribus, certus librorum numerus carnis porcinae, quae quandoque in ſua ſpecie ſuariis ſoluebatur, vel pretio taxata. Suariorum erat collegium, cui nonnulla competebant priuilegia, veluti immunitatis a ſordidis muneribus, et a corporalibus iniuriis; ita tamen adſtricti erant huic corpori, vt nemo declinare hanc functionem poſſet, neque vllo honore, aut dignitate, neque adeo principis reſcripto, niſi idoneum pro ſe ſubſtitueret, imo heredes et ſucceſſores ſingulares huic functioni obnoxii erant. Huc igitur pertinet reſcriptum Conſtantini modo dictum in l. 1. *Quoniam Suariorum corpus*, inquit, *ad paucos deuenit, iubemus, eos adſtante Populo Romano dicere*, Quibus excuſatio ſit delata, quibus prouenerit onus: *vt his in medium publicae rationis edoctis exemplum rei Nauiculariae proponatur. Itaque dignoſcant, facultates proprias Suariorum eſſe obnoxias muneri: ac de duobus alterum eligant, aut retineant bona, quae ſuariae functioni deſtricta ſunt, ipſique ſuario teneantur obſequio, aut idoneos quos volunt, nominent; qui neceſſitati idem ſatisfaciant. Nullum enim vacare ab huius rei munere patimur. Sed ſiue honoribus euecti, ſiue quolibet verſutiae genere ſugeruut, reuocari eos iubemus: idque ipſum teſte et audiente Populo Romano compleri, ac nos ſuper his couſuli: vt animadvertamus in eos, qui hac tergiuerſatione nulli penitus*

nitus tribuendas, ideo, qui ſubripere potuerit, poſt beneficium infirmatum, ſalutis etiam periculum ſubituro. Dat. VIII. Id. Mart. Rom. Optato et Paulino Coſſ. 334. Sufficiant haec de olei, carnis porcinae et vini diſtributione dicta; plura ſupereſſent enodanda; quia vero haec plane aliena eſſent ab inſtituti ratione, mittamus iſta, licet quandoque in libris et conſtitutionibus ſequentibus occurrant. Pergamus itaque ad reliquos frumentariae largitionis viciſſitudines ſub reliquis Imperatoribus vsque ad IUSTINIANUM.

§. LXXIV.

Conſtantii conſtitutiones ad rem frumentariam.

CONSTANTIUS de Piſtoribus reſcripſit in l. 2. C. Th. de piſtoribus et Catabolenſibus. *Si quis piſtoris filiam ſuo coniugio crediderit, eſſe ſociandam, piſtrini conſortio teneatur obnoxius, ſed familiae piſtoris adnexus, oneribus etiam parere cogatur. Et quoniam neceſſarium corpus ſouendum eſt, patronos piſtoribus conſtitutos ad altera functionis officia prohibeo deuocari, Caudicariorum corpori minime de cetero copulandos: vt aliis neceſſitatibus abſoluti eam tantummodo functionem liberae mentis niſibus exſequantur.* Dat. Prid. Non. Jul. Med. Arbitione et Lolliano coſſ. 355. Duo noua per hoc conſtituit Imperator; Prius eſt de filiabus piſtorum, vt qui eos vxores duxerit, tamquam de familia piſtoris piſtrini oneribus tenea-

 tur;

tur; poſterius eſt de patronis piſtorum, quos noluit CONSTANTIUS Caudicariorum corpori et functioni miſceri, ſed horum munia diſtingui; vnius etiam functionis et corporis patronos eſſe voluit, non duorum, cum tamen id haſtenus aliter factum fuiſſet. Patroni piſtorum ſcilicet fuerunt, qui ſingulis piſtorum officinis praeerant, quibus omnium cuiusque officinae animalium, ſeruorum, molarum, fundorum dotalium cura, et poſtremo omnis officinae et piſtrini entheca commiſſa erat. Eorumdem vnus ſummus erat per quinquennium, quo effluxo alius conſenſu corporis eligebatur, vnde *quinquennales* vocabantur, immo et quinquennalium corpus, cuius vt plurimum mentio fit in inſcriptionibus vrbis Romae, qualis ſupra adducta. Vide Gruterum CCLV. 1. 2. 3.

CVRANTIBVS
M. CAERET : : : : : ZMARAGDO
L. MAEVIO. EPICTETO. QVINQ. II.
QVAESTORIBVS
C. PVPPIO : : : : : FIRMINO. II.
C. CALPVRNIO. MAXIMO.

et apud eundem aliam inſcriptionem CCCXL. 3.

AD. SS. C. PROC. PORTVS. VTRIVSQ. A...
VIRO. INNOCENTISSIMO.
CODICARII. NAVICVLARIL ET.
QVINQ. CORP. NAVIGANTES. OB.
INSIGNEM. EJVS. ERGA. SE.
BENIVOLENTIAM. AC. SINGV.
LAREM. ABSTINENTIAM.

§. LXXV.

§. LXXV.

Valentiniani ſen. conſtitutiones ad frumentariam cauſam.

A Valentiniano Sen. Imperatore ſine dubio plurimas conſtitutiones, ad rem frumentariam ſpectantes, habemus, quarum duodecim ſunt in Tit. Cod. Theod. *de Piſtoribus et Catabolenſibus*, ex quibus ſatis apparet, quantum annonae vrbicae conſuluerit Imperator. Prima imperii eius conſtitutio eſt de poſſeſſionibus, ſiue praediis piſtorum, vbi de alienatione eorumdem ſanxit, tres tantummodo titulos diſtinguendo. Si nempe de venditione quaeritur, piſtorem *vendere* poſſe, cuique voluerit, duobus exceptis hominum generibus, Senatoribus et officialibus, quia emtores iſtorum praediorum piſtrino obnoxii fiebant, ideoque neceſſe erat ex noua Valentiniani conſtitutione, vt apud praefectum annonae ſuper hac emtione teſtatio deponeretur, ideoque interdicta erat venditio, niſi ſub conditione officii piſtorii ſubeundi. *Donare* praedia filiis nepotibus licebat, quia exinde piſtorium officium nullum detrimentum caperet, quippe qui iam iure ſucceſſionis iſti officio ſubjecti erant. *Teſtamento* aliaue vltima voluntate denique nemo ea acquirere poterat, niſi ſimul piſtoris officium ſuſciperet. Continentur haec omnia in l. 3. C. Th. *de Piſt. et Catabolens. Praedia ruſtica vel vrbana, quae poſſident priuato iure piſtores,*

nec ſenatorem, nec Officialem comparare permittimus, (contractu pari cum aliis non interdicto.) Quippe mercantes ad venditoris officium vocabuntur, ſuper hac emtione apud praefectum annonae teſtatione depoſita. In donationibus *vero filii excepti ſunt, et nepotes: Eodem loco poſitis omnibus, qui qualibet proximitate iunguntur, quibus ideo non demſimus beneficium largitatis, qui et paneficii neceſſitatem ſuſcipere ſucceſſionis iure coguntur. Haec forma ſeruabitur et in teſtamentis, aut donatione, vel nouiſſima voluntate, vt in extraneos conlata non valeant, niſi piſtoris officium ſponte ſuſceperint, qui piſtorum ſunt munificentiam conſecuti.* Dat. IV. Non. Jun. Naiſſo, Diuo Jouiano et Varroniano coſſ. 364. Diſtinguebantur tamen poſtea ab Imperatore noſtro in l. 13. *C. Th. de piſtor. et Catab.* bona piſtoris in dotes piſtrini, hoc eſt, res piſtrino, ſiue, piſtorum corpori adnexas, et eas, quas priuato iure poſſident; illas diſtrahere nullo modo ex ſanctione Valentinianea poterant, bene vero has. Quid autem *dotis* nomine comprehendatur, in hac lege noſtra determinatum eſt, non ea ſcil. tantum bona, quae, vti lex ait, in originem adſcripto corpori piſtorum ſunt, inſtar dotis verum etiam propria eorum et aduentitia, quae videlicet ex ſucceſſione piſtorum ad heredes eorum vel quos alios deuoluta ſunt; veluti ſi quid priuatotorum inſtitutione, dote, liberalitate aut quo alio titulo conſecuti eſſent.

§. LXXVI.

§. LXXVI.

Sanxit porro idem imperator in l. 4. C. Th. *de Piſt. et Catabol.* vt Senatores ex piſtoribus facti, optionem habeant, vel retinendi ſuas facultates, et ſic ſenatoria dignitate repudiata ad piſtrinum redeundi; vel ſenatoriam dignitatem retinendi, et ſic facultatum amittendarum, ideoneis videlicet in tantam paneficii ſubſtantiam ſubrogatis de ſuis. Deinde in l. 5. h. t. excuſari iuſſit filios piſtorum vsque ad viceſimum annum. Tertio in l. 6. h. t. vetuit, quemquam a munere piſtorum liberari, ne principis quidem reſcripto, ſi originarius fuerit; quod ſecus eſt, ſi condemnatus per iudicis ſententiam l. 7. C. Th. de poenis. Neque hoc fieri debere per vnanimem totius corporis piſtorum conſenſum, in l. 8. C. Th de piſtor. et Catabol. Neque piſtor clericus factus ob declinanda piſtrina liberari debet ab collegio in l. 11. C. Th. de piſtor. et Catabol. Porro exceptionem ſtatuit in iis, qui piſtoris filiam duxerint, quippe qui per Conſtantini reſcriptum officio piſtorio obnoxii fiebant, quod hi facultatibus lapſi, et ſoluti a matrimonio iterum liberarentur a piſtorum corpore in l. 14. C. Th. de piſtor. et catabol.

§. LXXVII.

De Patronis piſtorum.

De Patronis piſtorum extat quoque Valentiniani conſtitutio in l. 7. C. Th. de piſtor. et catabol.

his verbis: *Poſt quinquennii tempus emenſum vnus prior e patronis piſtorum otio et quiete donetur, ita vt ei, qui ſequitur, Officinam cum animalibus, ſeruis, molis, fundis dotalibus piſtrinorum poſtremo omnem enthecam, tradat atque conſignet.* Dat. VIII. Id. Octobr. Altino, Diuo Jouiano et Varroniano coſſ. 364. Supra iam monuimus, vnum e patronorum corpore in ſummo actu conſtitutum fuiſſe, quod ſine dubio hac lege tamquam nouum quid, introducere voluit Valentinianus. Aliam adhuc habemus conſtitutionem imperatoris ad Patronos ſpectantem in l. 12. C. Th. eod. quam tamen integram exponere nolumus. Repetiit ſcil. VALENTINIANUS ſen. Conſtantini M. praeceptum, quo piſtorum vrbicorum collegio hoc modo conſuluit, vt ex Africa ſingulis luſtris piſtores ex officio, quod ei corpori addictum erat, mitti iuberet, et vetuit, ne quis, ordine ſuo mittendus, poſſit hanc functionem redimere, et denique ſanxit contra eos iudices et Officiales, qui piſtores non mitterent.

§. LXXIII.

De Catabolenſibus.

De Catabolenſibus edixit VALENTINIANUS duabus legibus l. 9. et 10. C. Th. de piſtor. et Catabol. Prior haec eſt. *Ex libertinis, Catabolenſium corpori ſtatuimus ſociari eum, cuius tota ſubſtantia triginta librarum argenti aeſtimatione colligitur. Idque pondus ſiue ipſum per ſe habet, ſeu, in aliis quibuscunque*

que ſpeciebus vel in aedifidiis atque agris, dictae adſcriptionis merita non tranſit, iubemus ab inquietudine iſtius moleſtiae ſegregari. Dat. Ill. Kalend. April. Triv. Valentiniano et Valente A. A. coſſ. Poſterior eſt: *Libertini, qui a Dominis, cuiuscunque honoris aut meriti, aliquid teſtamento, vel donatione meruerunt, ſi aliquam rem piſtrinis obnoxiam conſecuti ſunt, piſtorum corpori copulentur. Si vero libera ab hoc nexu iisdem ſunt corporibus derelicta, Catabolenſium neceſſitatibus obſequantur. Quin etiam ſi qui ex his aliis ſe corporibus crediderunt inſerendos, ab his incunctanter abſtracti, ei cui hac lege ſociati ſunt muneri deputentur. Si autem a clariſſimis viris aliquos acceperint fundos, ſic praedicto corpori pareant, vt glebae, ex qua lucratiua ſunt corpora, nullum praeiudicium comparetur. Dat. Non. Jul. Lecta in Pantheo Nov.* VALENTINIANO *et* VALENTE *AA. coſſ.* Satis iam ex ipſis legum verbis conſtat, Valentinianum corpori Catabolenſium conſulere voluiſſe, cum hoc tempore infractum fuiſſet, ita vt ex libertinis Catabolenſes eſſe adſumendos ſtatueret; atque id quidem duobus hisce caſibus, quorum primus in l. 9. continetur, vbi ſine dubio initio legendum et *non ſociari*, quod poſtrema legis pars oſtendit; alter eſt, quo libertini catabolenſibus iungendi, ſi a dominis, ſiue patronis aliquid teſtamento vel donatione meruerint ſeu acceperint, dummodo non reus aliquam piſtrinis obnoxiam, tum enim piſtorum corpori ſociandos. Quodque ita conſtitutum, vt libertini

rem

rem piſtrino obnoxiam a dominis conſecuti, Catabolenſium corpori ſociare ſe non poſſint: et viciſſim immunem a piſtrini nexu conſecuti, piſtrino ſe ſociare non debeant. Libertini itaque tantummodo ad Catabolenſium corpus vocabantur, quia in ingenuis graue illud viſum et indecens. Quae omnia tum corpori Catabolenſium conſulendo inſtituta ſunt, tum vero etiam in odium libertorum, ad quos magnae diuitiae profluebant, et ad coercendos patronorum profuſiones, vt deterrerentur metu catabolenſis conditionis.

§. LXXIX.

Magna rei annonariae cura Valentiniani ſen.

Quod reliquum eſt, ſatis elucet VALENTINIANI cura rerum publicarum in ſpecie annonarum, ex pluribus eius conſtitutionibus in l. 8. 9. 10. 11. 12. C. Th. *de annona et tributis.* Vetuit porro, ne annona vrbica, ſiue ea, quae ad Vrbem Romam pertinet mutetur, hoc eſt, pro ipſis ſpeciebus aurum inferatur in *l. 1. et 2. C. Th. tributa in ipſis ſpec. infer.* Nec non conditorum in publicis horreis curam geſſit, et ſtatuit, vt praefectus vrbi ſimul cum praefecto annonae de vrbica annona diſponerent; et vetera condita, quae ſub anteriore praefectura horreis illata fuerunt, et aſſeruantur, prius erogarentur, quam noua, quae ſub praeſenti praefectura horreis illata et cum vetera condita

forte

forte corrupta eſſent, vt nouae annonae admixtione id vitium veletur. Poſtremo denique cauit de frumentario cuſtode et menſore a praefecto Vrbis arbitratu eius ex iudicio eligendo, vt nobilis, prudens et fidelis ſit, qui modio frumentum metiatur, aut iuſta aeſtimatione colligat, quantum habeatur in condito. Reſcripſit hocce in l. 1. C. Th. *de conditis in publ. horr.* hisce verbis: *Cauens, ne vrbaniciani Officiales annonariis neceſſitatibus miſceantur, omnia participe praefectura annonaria diſponas, ac iubeas ad curam propria reuocari. Ante omnia autem, quae in horreis habentur, expendi volumus, ita vt non prius ad id frumentum tendatur expenſio, quod ſub praefectura tua Vrbis horreis infertur, quam vetera condita fuerint erogata. Si forte vetuſtate ſpecies ita corrupta eſt, vt per ſemet erogari ſine querela non poſſit, eidem ex noua portione miſceatur, cuius adiectione corruptio velata damnum fiſco non faciat.. Ad iſtud autem negotium, arbitratu ac tuo iudicio, nobilis, prudens, fidelis, optime ſibi conſcius: pro integritatis meritis, adponatur cuſtos ac menſor, qui vel frumenta modio metiatur, vel iuſtis aeſtimationibus colligat, quanta habeantur in condito.* Dat. VI. Id. April. Diuo Jouiano et Varroniano coſſ. 364. Quod retinuit JUSTINIANUS in l. 1. et 2. C. Iuſt. de condit. in public. horreis.

§. LXXX.

Alia adhuc praeſcripſit VALENTINIANUS corpori piſtorum, l. 11. 12. 13. et 14. C. Th. de piſtoribus

piſtoribus et catabolenſibus, ſcilicet 1) ne quis ob declinanda piſtrina ad Clericatum tranſeat; quod ſi forte factum fuerit, reuocationi ad conſortium piſtorum locum eſſe: l. c. 11. 2) ſecundum Conſtantini M. legem iuſſit, vt ex Africa ſingulis luſtris piſtores ex officio, quod ei corpori addictum erat, mitterentur a Judicibus ſeu Rectoribus Africae ad Piſtorum corpus Romam. Singulis luſtris forſan factum eſt, propter patronorum Quinquennalium mutationem, quibus ſane hi piſtores conſignare debebant. Quodnam vero iſtud Officium fuerit, hoc in obſcuro latet l. c. 12. 3) Imo et illud a CONSTANTINO M. inſtitutum retinuit, confirmauitque, quod leuiorum criminum rei, pro poena, iudicum ſententia in piſtrinum Vrbis Romae darentur l. 3. 5. 6. 7. 9. C. Th. de poenis. 4) diſcrimen bonorum piſtoris, in dotes piſtrini i. e. res piſtrino ſ. piſtorum corpori nexas, et in eas, quas priuato iure poſſident, retinuit, probauitque Inſtitutum, quod illas diſtrahere non poſſint, has poſſint; attamen quia nondum definitum erat, quae res proprie dotes piſtrini eſſent, et quaenam priuato iure poſſiderent, definiuit Imperator ita, vt non ea tantum bona, quae vt lex ait, in originem adſcripta corpori piſtorum, dotis nomen et ſpeciem retinent, verum etiam propria eorum et aduentitia, quae videlicet ex ſucceſſione Piſtorum ad heredes eorum vel quos alias deuoluta ſunt in l. 13. cit. 5) Denique conſtituit, vt, qui piſtoris filiam

filiam in vxorem duxerat, piſtorum conſortio in tantum teneretur, vt neque dilapidatis facultatibus conſortio piſtorum eandem eximere poſſet, ſed in perpetuum piſtrini conditioni adſtringeretur, ac ſi originis vinculo teneretur. l. 14. cit.

§. LXXXI.

De canone Vrbis Romae.

De canone frumentario vrbis Romae, ex quo panis populi Romani vſibus miniſtrabatur, a piſtoribus, cuius enixam curam principes geſſere, bis ſanxit VALENTINIANUS noſter in *l. 1. C. Th. de canone frument. vrbis Romae.* et *l. 2. C. Th. eodem.* Prior quidem plane non ad largitionem frumentariam, de qua nos agimus, gratuitam ſcilicet pertinere videtur, qui edixit, ex priſco more ſeu inſtituto certam quantitatem frumenti, et quidem integri et intemerati piſtoribus ex publico canone frumentario a menſoribus et caudicariis vendendam eſſe, ita tamen, ne peſſimus panis populi Romani vſibus miniſtraretur. Poſterior vero lex generatim de bonitate annonae conferendae diſponit, quae ad gratuitam magis pertinere videtur, his verbis: *Nautici apud Curatorum vel Magiſtratuum acta fateantur, incorruptas ſe ſpecies ſuſcepiſſe, eorumque, apud quos deponitur iſta teſtatio, praeſens aſpectus probet, nihil in his eſſe vitii: quod eo tempore, quo ad ſacrae urbis Portum peruenit, praefectura iugiter obſeruare*

uare praeceptum eſt. Dat. XVIII. Kal. Jul. Remis Gratiano. A. I. et Dagalaiſo. coſſ. 366.

§. LXXXII.

Reliquae Valentiniani conſtitutiones.

Superſunt adhuc aliae conſtitutiones maxime ſalutares rei frumentariae 1) ab aedibus ſeparari non poſſe panes ſiue annonas ciuicas, et panes venditis aedibus a venditore retentos caducos fieri et fiſco vindicari. l. 1. C. Th. de annon. civ. et pane gradili. 2) De non transferendo pane gradili ab vno gradu in alium in l. 2. C. Th. eod. 3) de pane gradili accipiendo ſ. diſtribuendo de gradibus, non de piſtrino, in l. 3. C. Th. eod. 4) ideoque palam diſpendendum eſſe panem in l. 4. C. Th. eod. 5) de modo ciuicae annonae popularis in vrbe Roma, quo edicto a. 369. ad populum emiſſo nouum conſtituit. Vsque ad hoc ſcilicet tempus popularibus inopibus viginti panes ſordidi ſinguli duarum vnciarum ſemis, et ſic quinquaginta vnciae vendebantur pretio nempe viliore, in quo beneficii iſtius et tamen alii, quam vel ciues rom. vel pauperes ſeſe ingeſſerant impetrabantur, vt ſibi eodem pretio panes ſordidi venderentur. Nouum autem, quod VALENTINIANUS edixit, duobus capitibus conſtat; primum viginti panes ſordidis, qui quinquaginta vnciis vendebantur, gratuitos tribui vult, nempe bucellas ſex, mundas triginta ſex vncias pendentes; ſingulas proinde

bucellas

panis erat, non mundus, minus purgatus a farre, et furfuraceus. Bucella munda vero, ſiue panis mundus, quo ſolummodo elegantiores vtebantur. CIRONII *Obſ. Jur. can. Lib. IV.* Secundo definit imperator, quinam ad huiusmodi annonas ciuicas admittendi non ſint, et qui eas a ciuibus romanis acquirere ſibi non poſſint, Officiales nempe, ſerui, et qui iam aedium panes accipiebant. Ex quo poſteriori certum eſt, extraordinariam hanc fuiſſe largitionem, quoniam opponuntur hi panes iis, qui aedes ſequebantur. Reliqua, quae quoad modum tribuendi panes hos edixit Imperator, ex ipſis conſtitutionis verbis videri licet, quam integram adſcribere ex re noſtra erit. l. 5. C. Th. de ann. civ. et pane gradili: *Ciuis Romanus* (non enim legi poteſt *ciues romanos*) *qui in viginti panibus ſordidis* (qui nunc dicuntur Ardinienſes) *quinquaginta vncias comparabat, triginta et ſex vncias in bucellis ſex mundis ſine pretio conſequatur: ita vt ius in his nullus habeat Officialis, nullus Seruus, nemo qui aedificiorum percipiat panem: Quorum ſi quis ſe, aliqua ratione fortaſſe immerſerit, adquiſito pane priuabitur, proprium nihilominus perditurus: aut dabit pro conditione ſupplicium ei, qui commiſſam detulit fraudem, et emtoris panes et venditoris habituro: Popularibus enim, quibus non eſt aliunde ſolatium, quibus idem panis hodieque diſtrahitur, et eorum ſucceſſoribus, clementia noſtra deputabit, in quo nunc emitur loco propriis gradibus erogandum. Quibus titulus figendus eſt aeneus, in quem*

et panis modus, et percipientis nomen debebit incidi. Etſi ad tantum alicuius temeritas eruperit, vt aut per ſe aut per aliquem ſuorum ſibi quolibet modo ius panis iſtius atque aerae tabulae ſuum voluerit nomen inſerere, ſupradictis conditionibus ſubjacebit. P. P. Romae. Kalend. Aug. Valent. N. B. P. et Victore coſſ. 369. 6) porro anno ſubſequenti poenas ſtatuit iis grauiores, ac praecedente conſtitutione fuerunt, qui fraudes in annonis ciuicis committerent in l. 6. C. Th. eod. et 7) denique venditiones annonarum ciuicarum nullas declarauit, et panes, quos ab Vrbe abiens, deſeruerit, in horreorum conditis reſeruandos eſſe l. 7. C. Th. eod.

§. LXXXIII.

GRATIANI *cura rei frumentariae.*

GRATIANUS in l. 3. C. Th. tributa in ipſ. ſpecieb. inf. repetiit Valentinianeas ſanctiones, ne liceat canonem vrbicarium adaerari, et conſtituit 1) in l. 1. C. Iuſt. de apparitor. praef. ann. *Apparitores vrbanae praefecturae annonario officio ſeſe non inſerant: ſed apparitorum aemulatione ſecuta, miniſterio ſuo annonae praefecturae fungantur.* Deinde 2) in l. 15. C. Th. de piſtoribus et Catabol. ne piſtorum patronus, qui rationes conturbaſſet, aut bona credita decoxiſſet, in poſterum ſententia praefecti annonae vti antea ſaepius factum, reſtituerentur, idque vetuit duplici ex ratione, propter vtilitatem

annonae

annonae publicae quoniam ſuſpicio ſemel aderat, et propter rerum iudicatarum auctoritatem atque conſtantiam, porro 3) in l. 16. eodem, modum reſtituendi ea, quae piſtores ex horreis vrbis Romae diripuiſſent, determinauit: vt ſcilicet in quacunque alia ſpecie in aere vel plumbo reſtituerent, ſi in frumento ipſo non poſſent, et denique 4) per l, 17. eod. mulctam quinquaginta Argenti librarum iudici Africano, et totidem eius Officio dictitauit, ſi piſtores ſolito, vti ſupra diximus, tempore h. e. quinquennali, non miſiſſent Romam; eiusque rei curam Vicario Africae tribuit.

§. LXXXIV.

Valentiniani jun. cura annonae vrbicae.

VALENTINIANUS JUN. cum admodum frequenter de defectu annonae querelae ad eum perlatae, annonae vrbicae enixam curam geſſit, quales apud SYMMACHUM occurrunt Lib. X. epiſt. 50. vbi queritur, *iamdiu ſolitorum vectigalium decretas prouincias nihil contuliſſe, quorum ratio Hiſpanienſes et Alexandrinos inuehere debent commeatus.* Quam ob rem orat Valentinianum, *vt aeternae vrbis expenſas a defectu ſumtuum vindicet*, imploratque, *opem eius largam populi Romani aerario, ne ceſſantibus ſubſidiis neceſſaria deſerantur, quae hactenus perſonae tenues alieno aere tolerarunt*; denique vt *auxilium ferat, priſcoque Populo Romano beneficium ſeruet, qui noua etiam deſerret, et vrbi annueret, quod praetermiſſio*

termiſſio praeterita ſuſpendit, et quod futurus vſus expoſceret. Quas querelas medendi cauſa, imperator in l. 18. C. Th. de annon. et tribut. poenas dixit iis, qui moram in ſoluendo canone committerent. Per ſubſequentem l. 20. C. Th. eod. prouincialium ſecuritati et indemnitati annonas ſoluentium conſultum iuit, fraudibusque occurrit. Vt quoque ordo et veteres leges, quae collegiis, ad rem frumentariam ſpectantibus, iura et priuilegia conſtituerunt, diu ſeruetur ſalutis publicae cauſa, repetiit imperator noſter plurima, quae a maioribus inſtituta fuerunt; in ſpecie vero vetuit, ne quis manceps a mancipatu piſtorio liberetur, ſiue decurialis militiae obtentu, ſiue Principis reſcripto, nempe vt ſua decurialibus priuilegia conſtare voluit, ita viciſſim mancipatum labefactari decurialis militiae obtentu noluit; vt porro ſua cuique corpori priuilegia, ita ſui cuique homines ſeruari debent, neque vnius priuilegia ad alterius iniuriam porrigenda ſunt. En enixum Imperatoris ſtudium in l. 18. C. Th. de piſtor. et Catabol. hisce verbis: *Vt conceſſa decurialibus priuilegia nolumus abrogari, ita lege ſuper mancipibus data nihil iubemus imminui, Nam ſi qui ab hoc ad Decurias illicite tranſierunt, vt munus euaderent Mancipatus, neceſſe eſt, erga eos priuilegia non poſſe ſeruari, qui obnoxios ſibimet recte vindicat functio memorata. In tantum etiam defenſiones diuerſorum principum largitate conceſſa erga Decurias manere decernimus, et mancipatui obnoxios*

iubemus

iubemus addici, vt ſi quiſpiam ſuper abſolutione Mancipatus noſtrae maieſtati preces obtulerit, bonorum amiſſione plectetur. Quod quidem non ſolum in Decurialibus, ſed etiam in ceteris decernimus perpetua lege ſeruari. Dat. III. Id. Jun. Mediol. Honor. NB. P. et Euodio coſſ. 386. Sane igitur idem ſanxit hac in re, quod VALENTINIANUS *ſenior* fecit, vti ſupra vidimus. Illud potiſſimum obſeruandum, quod lex ſuper mancipibus data, cuius mentionem lex noſtra facit, nulla alia forſan ſit, quam quae in l. vnic. C. Th. de Mancipibus, continetur; conſtitutum ſcilicet erat, vt omnes, qui reſcripti aduerſus veteres ſanctiones ſubreptiua defenſione munirentur, functioni Mancipatus addicerentur.

§. LXXXV.

THEODOSII *M. cura annonae conſtantinopolitanae.*

THEODOSIUS MAGNUS quinque conſtitutiones ſuper annonis ciuicis Vrbis Conſtantinopolitanae edidit in l. 8. 9. 10. 11. et 12. C. Th. *de annonis ciuic. et pane gradili*, quarum quatuor *priores* de annonis ſcholarum militarium agunt, poſterior in ſpecie de annonis aedium, iisdemque militaribus, quas hic recenſere nolumus, cum iſtae magis ad ſtipendium militare pertinent, quam ad frumentariam largitionem, de qua nobis hic oratio eſt. Deinde etiam de conuectione annonarum terna vice conſtituit, et quidem 1) conuehi annonam

 manſio-

manſionaticam a proximis poſſeſſoribus: Limitaneam vero etiam longius poſitis poſſe, in l. 21. C. Th. de annon. et trib. 2) quibus ex locis et ad quae loca annonae conuehendae ſint, in l. 22. C. Th. eod. 3) denique abrogauit nonnulla, quae a TATIANO Praeſ. Praet. prouincialium humeris impoſita erant. l. 23. C. Th. eod. Anteceſſorum denique ſuorum conſtitutiones repetiit, quibus vetuere, praebitiones, ſiue annonas et tributa in ipſis ſpeciebus inferendas eſſe, in l. 4. et 5. C. Th. trib. in ipſ. ſpec. inf. cuius conſtitutionis pars eſt ea, quae habetur in l. 19. C. Th. de ann. et tributis, per quam prouincialium ſecuritati et indemnitati annonas ſoluentium conſuitum iuit. Poſtremo cohortatur Imperator potiores tantum, eosque nonniſi volentes, nonniſi pretio prorogato nonniſi forenſi, etiam annonarias ſpecies fiſco diſtrahere in l. 2. C. Th. de publ. compar. Inſtituit quoque nouum quendam canonem de quo mox videbimus. Conſtitutio eiusdem ſeruata nobis eſt in l. 2. C. Iuſt. de annonis ciuilibus. Centum viginti quinque modios frumenti praeter ſolitum canonem, per ſingulos dies de praeſenti ſexta indictione ex die Kalend. Januarii nomine parapeteumatis de horreis publicis huius almae vrbis, inſita noſtrae pietatis liberalitate tribuimus, datis ſacris apicibus ad ſublimiſſimam quoque per Orientem Praefecturam, quibus poſſit et modum noſtrae donationis agnoſcere, et incunctanter praebere,

bere, quae iuſſimus: quam modiationem iugiter, et in perpetuum ciuibus noſtris debere conferri, valituram in aeuum hac lege ſancimus.

§. LXXXV.

HONORII *conſtitutiones de frumentatione.*

Exigua iſta ſunt a Theodoſio, quem longe ſuperauit HONORIUS, cuius nouem conſtitutiones in l. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. et 32. *C. Th. de annona et tributis* continentur; in quarum *prima* pretium gyneceiarum ſpecierum, id eſt, ſpecierum, quae a corporatis Carthaginenſibus conferebantur ad textrina Principis, quae proprio vocabulo Gyneceja vocabantur, a Proconſule Africae ſtatui iubetur. In *altera* ſanxit, actoribus morantibus in tributis ſoluendis ipſos praediorum dominos teneri. Per *tertiam* aequalitati tributariae functionis, ſiue tributorum ſoluendorum, aduerſus potentiorum iniurias, tenuioribus et miſeris prouincialibus per Gallios ſubleuandis conſultum iuit. *Quarta et quinta* iterum de tributis et cenſibus edixit. *Sexta* extraordinariae militaris annonae, et equorum collationis curam oſtendit. Septima ſub poena dupli vetuit, ne quis canonem Africanum frumentarium Vrbis Romae vſibus deſtinatum; *octaua* ſanxit, nullum poſſeſſorem, neque munificum praedium pro alienis debitis, vel deſtitutionem eſſe detinendum, neque eorum praediorum defectione praegrauari. Et *nona* denique auri argentique illa-

tioni

tioni aduerſus ſuſceptorum fraudes ſuccurrit, exactorumque depraedationi occurrit. De erogatione ex conditis quoque in publicis horreis conſtituit imperator in l. 2. C. Th. de condit. in publ. horreis, hac ratione: *Nihil prius ex horreis conſequantur, quam omnis canon, qui antiquitus eſt inſtitutus, fuerit completus; cognoſcente Officio Vrbicariae praefecturae decem libris auri eſſe mulctandum, ſi quae decreuimus fuerint temerata.* Dat. VI. Kal. Jan. Med. Arcad. III. et Honor. III. A. A A. coſſ. 396. Quare ingruenti fami occurſum voluit, quae tum temporis metuenda erat, hancque ob cauſam mallem ego, temporariam hanc conſtitutionem exiſtimare, quam perpetuam. Nec non piſtorum corpori conſuluit, quaternis conſtitutionibus in l. 19. 20. 21. & 22. C. Th. de piſtor. & Catabol. in quarum *priore* de ſolatiis piſtorum, deque locatione fundorum, piſtorum corpori obnoxiorum ſanxit; in *altera* de adſcriptis a Judice, ordini piſtorio non liberandis reſcripto principis, pariter, ac fecit vterque Valentinianus Sen et Jun. In *tertia* interdicit coniugium Thymelicorum, id eſt, ſcenicarum perſonarum, Aurigarum, id eſt, agitatorum Circenſium cum piſtoribus et piſtorum poſteris; eosque verberibus affectos deportari vult, facultatesque paneficio ſociari, ſicuti commune piſtoribus interdictum erat extra corpus piſtorium coniugii conditionem quaerere, ita nominatim cum Thymelicis et Aurigis interdictum. In *quarta* denique

concuti

concuti piſtorem Vrbis Romae clandeſtina fraude ab Apparatoribus Praefecti Vrbis Romae vel praefecti annonae vetuit, ſub poena functionis piſtoriae in perpetuum. Cum qua ſanctione aſſocianda eſt *l. 9. C. Th. de Suariis*, vnde liquet, clandeſtinae illud fraudis et concuſſionis genus eſſe, quod Apparitores et falſum ſaepe frumenti modum, et peſſimae qualitatis piſtoribus ex horreis Vrb. Romae dediſſe, mox quaſi maiore modo accepto, vel melioris qualitatis frumento piſtores vexaſſe, concuſſiſſe aſſumatur. Aliae quatuor Honorii conſtitutiones exhibentur in l. 3. 4 5. et 6. C. Th. *de Canone frum. Vrb. Romae*, quibus annonae vrbis Romae ſedulo proſpectum iuit, quod ſtudium ipſe in primae conſtitutionis prologo his verbis declarat. *Tertium habetis*, inquit, *patres conſcripti, quantum curarum impendimus, pro veſtris ac populi commodis* etc. In altera et tertia canoni frumentario Vrbis Romae conſulere voluit, ita vt in illa vetaret, ne quis priuatus ſibi vindicare quid audeat ex horreis cellulisue; in quarta denique fraudibus in canone inferendo ſerio occurrit, poenas grauiſſimas ſanciendo. In poſteriore imperii ſui anno de patronis horreorum portuenſium reſcripſit, *in l. vnic. C. Th. de patronis horreorum portuenſium*, ſingulis tantum annis eos praeeſſe debere, rationibus ſingulis annis redditis, ne vnquam veteris erogationis ratiocinium nouis commeatibus inferatur. Si vero quis fidelis et idoneus inueni-

 retur

retur, illum ſequentem annum adminiſtrare poſſe, modo ne adminiſtrationem horreorum Portuenſium fraudulenter vſurpet. De horreis hisce portuenſibus adeas GOTHOFREDUM ad *l. vnic. Cod. Th. de patronis horreorum portuenſium*, et *ad l. 9. Cod. Th. de ſuariis.*

§. LXXXVII.

HONORII *conſtitutio de pane Oſtienſi et fiſcali.*

Illud adhuc ſingulare eſt, quod ab HONORIO profectum, qui in l. vnic. C. Th. de Pretio Panis Oſtienſ. reſcribebat, *Panem Oſtienſem, atque fiſcalem vno nummo diſtrahi volumus. Sancimur autem, vt nullus per ſacrum reſcriptum audeat pretium ampliare qui ſi obtulerit ſupplicationem, duarum librarum auri multa ferietur. Dat. Prid. Id. April. Med. Honorio A. IV. et Eutychiano coſſ. (398.)* Quae conſtitutio pars eſt prolixioris, quae continetur in *l. 4. de Canone frum. Vrb. R.* Panis fiſcalis, vti ſupra iam vidimus, eſt qui e fiſcali canone frumentario confectus erat, et ex GOTHOFREDI ſententia idem erat cum Oſtienſi, quoniam ad portum Oſtienſem canon fiſcalis omnis ſubuehebatur, atque ibidem piſtores horrea cellulasue habebant. Emebant igitur piſtores ex canone frumenti Vrbis Romae frumentum leuius, aſt tamen non peſſimum a Caudicariis et menſoribus et panem inde confectum leuiori hoc pretio vendebant, vno ſcilicet nummo

nummo ex lege hac, id eſt, denario aereo, ſtipe minutiſſima, cuius generis ſex millia denariorum ſolidum conſtituebant, vti docet Caſſiodorus I. Var. 10.

§. LXXXVIII.

ARCADII *conſtitutiones de annonis ciuicis.*

ARCADIUS terna vice de annonis ciuicis ad Praefectum Vrbis reſcripſit; bis ſcilicet diſpenſationem nouarum annonarum a patre ſuo THEODOSIO M. inſtitutarum conſtituit in l. 13 et 14. *C. Th. de annon civ.* et pane Gradili. In l. c. 14. auctorem nominat diſerte patrem, vti et fecit Theodoſius iun. *in l. 2. C. Th. de frum. Vrb. Conſtant.* imo et *Themiſtius Orat. 6.* quam ſexto Theodoſiani imperii anno habuit, eo nomine Theodoſium laudat, quod annonam ciuicam auxerit; idque inſtitutum fuiſſe eum certe in finem, vt aedium annonae ſupplerentur, quarum bona pars extra hos titulos alienata translataque fuerat, neque enim aliter ea alienatio probari a THEODOSIO M. quam nouas nouarum aedium exſtructoribus annonas tribuendo. Ex Codice Juſtinianeo in L 2. de annonis ciuilib. videri poteſt, quantus ille nouus canon fuerit, centum ſcilicet viginti quinque modii frumenti per ſingulos dies, quod *Peritteumatis* (*i. e. ſupererogationis*) nomine ibi venit. De auctore huius legis, quem ob editionum diuerſitatem incertum quis, habere

habere poteſt, adeas Gothofredum in notis ad l. *14. C. Th. de annon. civ. et pane gradili.* Jam vero ARCADIUS in l. c. 13. iuſſit, vt nulli alii ex hoc nouo canone annonae tribuerentur, quam qui teſtatum facerent affectum, quem erga vrbem Conſtantinopolitanam haberent, domibus in eadem nouiter exſtructis, et reuocare voluit, ſi alio titulo donatae fuiſſent annonae, quam qui domos exſtruxiſſent. Idque tam late extendit, vt qui tantummodo ſponderent, ſe domos exſtructuros eſſe, ſi modo intra ſex menſes id facerent, annonae iſtae praeberentur, quod tamen contra vetuit, ſi ſerius exſtruxerint; vnde magnum Vrbis Conſtantinopolitanae augendae ſtudium ſatis elucet, quod ex vetere Vrbis Conſtantinopolitanae deſcriptione adhuc magis probatur. Attamen in l. c. 14. ſibi ſoli referuault iſtud nouarum annonarum erogationis genus, nec tribuit quidem Praefecto Vrbi, niſi manu ſua confirmaſſet. Tertia ARCADII conſtitutio eſt, de oleo, quod populo in gymnaſia balneaque etc. gratuitum dabatur, quam vero mittimus. Interceſſit quoque per *l. 3. C. Th. de condit. in publ. horreis* vſurpationi a Judicibus ſolitae, vetuitque, ne quis ſpecies, quae in horreis conditae fuerint, vſurpet ſub poena deportationis. Omittimus tamen vberiorem legis tractationem, quippe quae ſpeciatim ad militarem annonam, ſiue horreaticas ſpecies pertinet.

§. LXXXIX.

§. LXXXIX.

THEODOSII *iun. cura frumenti Vrbis Conſtantinopolitanae.*

THEODOSIUS *iunior* magnam curam frumenti vrbis Conſtantinopolitanae habuit, quod ex duabus conſtitutionibus in l. *1. et 3. C. Th. de frum. Vrb. Conſtant.* videri poteſt, quae ſcilicet ad publicam frumenti in vſum vrbis Conſtantinopolitanae comparationem, extra ordinem ad prohibendam famem iſtius vrbis pertinent. *Honorio* enim VIII. et Theodoſio iun. III. coſſ. apud Conſtantinopolim magna exarſit populi ſeditio ob panis penuriam, ita vt extraordinaria largitio populo facienda exigeretur, quam curauit MONAXIUS Praef. Vrb. et THEODOSIUS alterno reſcripto inſtituit, dum primo quingentas auri libras, poſtea vero ad ſexcentas et vndecim auctas (quae ſumma nongentorum et nonaginta duorum millium ſolidorum) colligendas voluit, vt exinde frumentum coemeretur inopis plebis ſubleuandae cauſa, vetando ne quis extra proprii vſus rationem frumentum priuatim coemeret. In poſteriori lege potiſſimum adminiſtrationis modum, et πολιτεῖαν circa hoc ſecretum aerarium, et poenas maleuerſantibus conſtituit. Ad frumentationem ordinariam quoque addidit aliquid THEODOSIUS noſter, dum in *l. 2. C. Th. de frum. Vrb. Conſt.* conſtitueret, annonas ciuicas domibus aeſtimatos

matas, non in frumento populo praeberi oportere, verum ipſos panes coctos, ſic quidem vt integer canon frumentarius mancipibus conſignari debeat, ne alioquin frumentum populus diſperdat, aliosque in vſus eroget, atque ita rurſum panem emere cogatur. Deinde quoque ciuitati Alexandrinae conſuluit Theodoſius, dum annonis eiusdem centum et decem modios diurnos adderet, quibus *Periſſochoregiae* (περισσοχωρηγίας) nomen indidit, in l. 1. et 2. *C. Th. de frumento Alexandr.* *Diurnos*, inquit *in l. 2. centum et decem modios alimoniis Alexandrinae ciuitati addi decernimus: vt nemo priuetur eo, quod nunc vsque percepit, et Periſſochoregiae nomen penitus amputetur, et teſſerae deſignentur, et noſtrae pietatis nomine cenſeantur. Dat. Prid. Non. Jun. Conſtantinop. Iſidoro et Senatore coſſ. 436.* Coniungendae ſunt cum hac lege l. 2. *C. Th. de Alexandr. pl. primatibus et l. 189. 190. 191 et 192. C. Th. de Decurionibus*, quibus annonarum cauſis maxime ſtudioſum ſe praebuit. Primus DIOCLETIANUS ao. 302, dum Alexandriae moraretur, annonariam cauſam inſtituit, atque caſtrenſes (vti vocantur) panes Alexandrinis dedit, cuius fidem facit inſignis lex apud auctorem *coll. legum Moſaic. Tit. de Mathematic. et Manichaeis, et Sex. Aurel.* VICTOR *de Caeſ.* c. 39. Imperator noſter popularem addidit, quod augmentum περισσοχωρηγίας nomine veniebat, quod idem eſt, quaſi diceres *praeſtationem vberiorem*.

Caput.

Caput. IV.

De Statu frumentariae largitionis ſub Juſtiniano.

§. XC.

JUSTINIANUS cum Codicem ſuum componeret, maximam partem conſtitutionum praedefunctorum imperatorum ſuſcepit, eorundemque inſtituta continuauit, idque etiam cum iis reſcriptis factum eſſe, quae ad frumentariam cauſam pertinent, teſtantur repetitae codicis eiusdem conſtitutiones, quas quia potiſſimum iamiam explicatae ſunt, tantum indicare volumus, et id quidem ſecundum temporum ſucceſſionem.

1) vetuſtiſſimae omnium, quae JUSTINIANUS repetiit, conſtitutionum, ſunt Valentiniani Sen. in l. 6. Cod. Juſt. de ann. et trib. de ao. 365. quae de transuectione militaris annonae ad limitem agit, interpolata parumper a TRIBONIANO, absque tamen innouatione magna, cum in codice Theodoſiano hoc modo concepta ſit. *Pro loco, ac proximitate poſſeſſionum annona ad limitem transuehatur. Quae iuſſio haud difficile capit effectum ſi tabularii metu praeſentium tormentorum a conſuetis fraudibus arceantur. Dat. XV. Kal. Jul. Med. Valentiniano et Valente coſſ. (365.)*

2) Eiusdem

2) Eiusdem VALENTINIANI Sen. conſtitutio eſt de apparitoribus praefecti annonae in l. 1. C: Juſt. de appar. praef. ann. quae, a Codice Theodoſiano abeſt; ſupra §. 49. a nobis explicata.

3) Eiusdem conſtitutio eſt in l. 1. C. Iuſt. de condit. in publ. horr. quae in l. 1. C. Th. h. t. aliter exhibetur, et ſupra §. 79. iam explicata eſt.

4) *Eiusdem* conſtitutio exſtat in l. 2. C. Juſt. de condit. in publ. horr. quae a Codice Theodoſiano abeſt.

5) *Eiusdem* conſtitutio eſt *de bonitate annonae conferendae* in l. 1. C. Juſt. de Canone frum. Vrb. Romae, quae extat in l. 2. C. Th. h. t. et explicata §. 81.

6) VALENTINIANI Jun. conſtitutio recepta eſt in l. 7. C. Juſt. de ann. et tribut. quae eſt in l. 20. C. Th. h. t. de eadem iam ſupra vidimus §. 84.

7) THEODOSII M. in l. 8. C. Juſt. de ann. et trib. quae excerpta eſt ex l. 21. C. Th. h. t. vbi hac ratione, diuerſa a Juſtinianea, exponitur. *Nemo poſſeſſorum ad inſtruendas manſiones vel conferendas ſpecies excepta limitaneorum annona, longius delegetur: ſed omnis itineris ac neceſſitatis habita ratione.* Dat. X. Kalend. Jan. Conſtantinop. Arcad. A. I. et Bautone coſſ. (385.) Supra iam enodata eſt §. 85.

8) Eiusdem

8) *Eiusdem* THEODOSII in eſt l. 9. C. Iuſt. de ann. et trib. et in l. 22. C. Th. h. t. quae agit, de conuectione annonarum, quibus ex locis ad quae loca.

9) *Eiusdem* eſt in l. 1. C. Iuſt. de ann. ciuil. et in l. 10. C. Th. de ann. ciuicis et pane grad. de qua ſupra actum eſt §. 85. Aliter tamen effertur in Codice Theodoſiano, interpolata certe a Triboniano.

10) *Eiusdem* eſt in l. 2. C. Iuſt. de ann. ciuil. quae de nouo canone agit et in Codice Theodoſiano deficit. Vide ſis §. 85. et 88. vbi eiusdem fit mentio.

11) ARCADII conſtitutio de Officio praefecti annonae et modo canonem exigendi eſt in l. 2. C. Iuſt. de apparit. praef. ann. quae a Codice Theodoſiano abeſt; explicata iamiam §. 49.

12) *Eiusdem* conſtitutio eſt, ne quis iudex ea vſurpet, quae publica collatione in horrea illata ſunt, in l. 3. C. Iuſt. de cond. in publ. horr. quae eſt in l. 3. C. Th. h. t. ſupra §. 88. explicata.

13) HONORII conſtitutio in l. 2. C. Iuſt. de canone frumentario Vrb. Rom. quae eſt in l. 3. C. Th. h. t. et explicata §. 86.

14) *Eiuſdem* conſtitutio in l. 3. C. Juſt. de can. frum. Vrb. Romae, quae exhibetur in l. 5. C. Th. h. t. longe vero aliter hic aſſeruata eſt, his verbis: *Neminem patimur in mutando canone Vrbis Romae noſtrae clementiae beneficium poſtulare: Ideoque euidenti praeceptione conſulentes: non ſolum ea reſcripta, quae quoquo modo potuerint impetrari, ſuſcipi non ſinimus, verum etiam illa vocari, quae praeteritum quoque tempus elicuit. Ac ne vllus ſubreptioni pateſcat aditus, eos qui poſthac commutari ſibi canonem in fraudem venerandae Vrbis popoſcerint, ad duplum retinendos eſſe decernimus, vt vetus diſpoſitio ſuum robur obtineat.* Dat. Prid. Non. Septemb. Altino, Theodoro, V. C. coſſ. (399) vide ſupra §. 86.

15) THEODOSII jun. conſtitutio eſt in l. 1. C. Juſt. de frum. Alexandrino, quae exhibetur in l. 1. C. Th. h. t. vide §. 89.

16) *Eiuſdem* conſtitutio de gratuita annona Vrbis Alexandr. in l. 2. C. Juſt. de frum. Alex. quae eſt in l. 2. C. Th. h. t. vtraque explicata §. 89.

17) *Eiuſdem* conſtitutio in l. 1. C. Juſt. de frum. Vrb. Conſtantinop. quae eſt in l. 2. C. Th. h. t. vide ſupra §. 89.

18) *Eiuſdem* conſtitutio in l. 2. C. Juſt. de frum. Vrb. Conſt. quae eſt in l. 3. C. Th. h. t. vbi magis explicita effertur, determinata auri quantitate,

titate, quam ſtatutam Tribonianus protulit; Sescentarum vndecim auri librarum quantitas ad coëmtionem frumentariam ſit perpetuo dedicata etc. vide ſis §. 89.

19) Imperatoris LEONIS conſtitutio de piſtoribus in l. vnic. C. Iuſt. de piſtoribus, quae a Codice Theodoſiano abeſt, circa annum 470 data, huius tenoris eſt: *Quicunque ex mancipiis comitis horreorum dignitatem et officium, vel ambitione, vel gratia, vel pecunia, ſeu quolibet alio modo poſthac fuerit adſecutus: exutus dignitate, quam contra interdictum noſtrae ſerenitatis adeptus eſt, multatus etiam viginti libris auri, ad antiquum denuo conſortium collegiumque reuocetur: omne etiam ſpeciale beneficium quocumque modo contra hanc ſanctionem fuerit impetratum, penitus conquieſcat.*

20) Imperatoris ANASTASII conſtitutio eſt in l. 1. 2. 3. C. Juſt. Vt nemini lic. in empt. ſpec. ſe excuſ et de mun. Sicotom. Vltima in l. 3. notatu ceterarum dignior eſt haec: *Cum in ciuitate aliqua frumenti comparandi curatore opus eſt, eius creatio fiat arbitrio et electione Epiſcopi et Primorum ciuitatis, non vt videbitur creatoribus, neque ex quibus voluerint perſonis, ſed ſoli ex regione illa officiales, militantes et dimiſſi ad munus illud ſitoniae ab eis promoveantur. Hi namque, qui in publicis negotiis diu ſunt exercitati, facilius ſitoniae munus expedient. At omni damno liberentur, qui eam neceſſitu-*

 dinem

dinem, curamque ſuſtinuerint, et ſecundum leges diſcutiantur: quandoquidem aequum non eſt, vt ex tot laboribus damnum ferant: frumentum autem praebeant non majore pretio, quam in foro diſtrahatur. Qui violarit legem, aut violari conceſſerit, triginta librarum auri multam ſuſtineto.

21) JUSTINIANUS ipſe quoque diſpoſuit circa rem annonariam, quod, ſi quid video, alterna tantum vice factum eſt, neque vlla alia eiusdem ſanctio in toto iuris ſui corpore exiſtit. Ortam ſcilicet litem quandam, et ad ſe relatam reſcripto dirimit, vbi inter cetera verba, quibus vſus eſt, oſtendunt, cauſam annonariam ad eundem ita, vt antiquitus erat. perueniſſe. *Nouell. LXXXVIII. cap. II. Videmus enim*, inquit, *frequentari hoc in regia hac praecipua ciuitate, et aliquos interdicentes eis, qui miniſtrant publicas annonas, et teſſeras accipiunt ab annonarum praefecto volentes ſuſpendi adminiſtrationem: et eos qui ex hoc ſolummodo forſan nutriuntur, defraudari adminiſtratione, per quam eis omnis tribuitur vitae occaſio.*

Inter conſtitutiones quoque, quas JULIANUS Anteceſſor JUSTINIANO adſcribit, et ad noſtra tempora propagauit, occurrit cap. XXII. ſanctio Imperatoris, qua ratihabet omnia illa, quae a Rege THEODORICO eius generis inſtituta erant. *Annonam etiam*, inquit, *quam et* THEODORICUS *dare ſolitus erat, et nos etiam Romanis indulſimus. in poſte-rum*

rum etiam dari praecipimus; ſicut etiam annonas quae grammaticis ac oratoribus, vel etiam medicis, vel iuriſperitis antea dari ſolitum erat, et in poſterum ſuam profeſſionem ſcilicet exercentibus erogari praecipimus, quatenus iuuenes liberalibus ſtudiis eruditi per noſtram rempublicam floreant.

Quodſi igitur veſtigia colligimus, apparet, Juſtiniano imperatore, annonariam cauſam talem fuiſſe, qualis olim inſtituta. Eſt numerus et ordo frumentantium, dantur teſſerae, diſtribuuntur panes, adeſt piſtorum collegium, piſtrinum, entheca; eſt praefectus annonae, adſtant apparitores, ſeruata ſunt iura, et cetera quae inde ſequuntur; quibus omnibus finem impoſuit imperii romani exitium, haud ſecus fecit largitioni frumentariae.

FINIS.

Quoniam non mihi ſuperfluum eſſe videtur, ſcire nomina eorum, qui extraordinario praefecti annonae munere functi ſunt, non poſſum non, hunc, vti ego obſeruaui, indicem adiicere.

L. MINUCIUS a. U. CCCXIV. primus fuit annonae praefectus. Liuius Lib. IV. c. XVI. et Lib. XVIII. cap. XIII.

CN. POMPEIUS a. U. DCXCVI. Dio Lib. XXXIX.

AMABILIANUS a. C. CCCXV. CCCXIX. ſub Conſtantino Magno. l. 4. C. Th. de Appellat.

PROFUTVRUS a. C. CCCXIX. ſub Conſtantino M. l. 1. C. Th. de piſtor. et Catabol.

VICTORIANUS ſub Conſtantino M.

CEREALIS a. C. CCCXXVIII. ſub Conſtantino M. l. 1. C. Th. de menſis oleariis.

JULIANUS a. C. CCCLXVI. ſub Valentiniano Sen. l. 2. C. Th. de canon. frum. Urb. Romae.

AURELIANUS a. C. CCCLXVII. ſub Valentiniano Sen. vide Jac. Gothofredum in Notitia dignitatum, ad Codicem Theodoſianum.

DEME-

DEMETRIANUS a. C. CCCLXIX. ſub Valentiniano Sen. vide Jac. Gothofredum l. c.

MAXIMINUS a C. CCCLXX. ſub Valentiniano Sen. l. 3. et 6. C. Th. de. ann. ciuic.

URSICINUS a. C. CCCLXXII. ſub Valentiniano Sen. l. 14. C. Th. de piſtor. et Catab.

GREGORIUS a. C. CCCLXXVII. ſub Gratiano l. 15. C. Th. de piſtorib.

VITALIS a. C. CCCCIII. ſub Honorio l. 21. C. Th. de piſtorib. et Catabol.

I. INDEX
Auctorum allegatorum.
numerus paginam denotat.

Appianus. pag. 22. 24. 78.
Aſconius. 53.
Auguſtinus. 68. 102.
Aurelius Victor. 79. 88.
Bulengerus 45.
Caius. 89.
Calliſtratus. 90. 102.
Caſſiodorus 66. ſeq. 95. 97. 110.
Chopmannus 26.
Cicero. 4. 22. ſeq. 30. ſeq. 33. ſeq. 36. 39. 43. ſeq. 48. 50.
Cironius. 113. 129.
Claudianus. 80.
Conradi. 28.
Contarenus. 3. 5. ſeq. 12. 14. 18. 35. 36. ſeq. 40. 49 ſq. 52. ſq. 61.

61. 74. 76. ſq. 81. ſq. 85. 88. 101. ſeq.
Cortius. 33.
Demoſthenes 37.
Dio. 38. 49. 51. 57. 60. 62. 64. ſeq. 70. 74. ſeq.
DioniſiusHalicarnaſſeus. 2. 10. ſeq. 14.
Feſtus 93.
Florus 22. 23. ſeq.
Frontinus 65.
Gellius 93.
Gothofredus 97. 138.
Gronouius 26.
Hombergk. 67.
Iſidorus 71.
Juuenalis 86. 88.
Lipſius 5. ſeq. 8. 37. 49. 58. 62. 74. 77. 82. 88. 98.
Livius 2. ſeq. 5. ſeq. 9. ſeq. 28. 33. 43.
Maittaire 28.
Manutius 53.
Panuinius 85.
Paulus 71. 73. 89.
Pearcius 26.
Perſius. 41.
Petitus. 72.
Philo. 83.
Plinius. 2. ſeq. 8. 12. ſeq. 15. ſeq. 18. 22. 43. 79. 80. 100. 113.
Plutarchus 5. 11. 21. 23. 27. ſeq. 33. 46. 48. 50. ſeq. 58. 80.
Pomponius. 63.
Popma. 33.
Prudentius 97.
Quinctilianus 76.
Reineſius 72.
Salluſtius 24. 33. ſeq. 37. 60.
Scaeuola 71.
Seneca. 39. 41. 79. 83. 93.
Spartianus 73. 101.
Suidas 78. 99. 112.
Suetonius 9. 48. 60. ſeq. 63. ſeq. 69. ſeq. 72. 77. ſeq. 83. ſeq. 103.

Sym-

Symmachus 105. 131.
Tacitus. 65. 81. ſeq. 85. ſeq.
Turnebus 74. 97.
Vlpianus. 65. 71.
Varro. 4. 43. 93.
Vopiscus 105.
Xiphilinus. 72.
Zoſimus 107.

II. INDEX.

legum explicatarum.

Ex Pandectis.

l. 2. §. 32. D. de Origine Iuris. pag. 63.
l. 1. §. 18. D. de exercit. actione. 65.
l. 13. D. de accuſationibus. 65.
l. 49. §. 1. de legatis. II. 71.
l. 87. pr. D. eod. ibid.
l. 35. pr. D. de legatis III. 71.
l. 1. D. Quod cuiuscunque vniuerſ. 89.
l. 52. §. 1. D. de Iudiciis. 71.
l. 26. D. excuſat. tutor. 73.
l. 9. §. 1. D. vacationib. 73.
l. 10. §. 1. eodem. ibid.
l. 5. §. 5. D. de Iure immunit. 102.
l. 5. §. 3. D. eod. 90.
l. vlt. D. de excuſationib. 89.

Ex Codice Juſtinianeo.

Tit. de Apparitoribus Praef. ann. p. 66. 130. 144.
Tit. de Canone Frum. Vrb. Romae. 93. 144.
Tit. de Annonis et Tributis. 108. 143. 144.
Tit. de Annonis ciuilibus 134.
Tit. de Conditis in publ. horreis 144.
l. 1. C. de hered. Decurion. 93.

Ex Codice Theodoſiano.

Tit. de piſtoribus. 66. ſeq. 93. 96. 110. 113. 117. 119. ſeq. 122. 125. 130. 132. 136.
Tit. de Condit. in publ. horr. 66. 125. 136. 140.
Tit. de Canone Frum. Vrb. Romae. 66. 68. 127. 137. ſeq.
Tit. de Annonis ciuicis. 66. 68. 97. ſeq. 128. 99. 129. 133. 139. ſeq.
Tit. de nauiculariis 66. 68. 93.
Tit. de Annonis et Tributis. 68. 109. 132. 134. ſeq.
Tit. de Frumento Vrb. Conſtantinop. 96. 139. 141.
Tit. de Decurion. 113.
Tit. de Spectaculis. 113.
Tit. de Menſis oleariis. 114.
Tit. de frumento Carthag. 117.

Tit. Tributa in ipſis ſpec. infer. 124. 130. 134.
Tit. de Poenis 90. 121. 126
Tit. de Mancipibus. 133
Tit. de Patronis horreorum portuenſ. 137
Tit. de Pretio panis Oſtienſis.
Tit. de Frumento Alexandr. 142.
l. 9. de Suariis. 66. 93. 137.
l. 24. de Suſceptoribus 66.
l. 5. de praediis Nauicul.
l. 14. de Exactionibus 66.
l. 4. de Appellationibus. 66.
l. 4. de Operibus publicis.
l. 4. de Executoribus 96.
l. 20. de Paganis 113.
l. 1. de Suariis. 115
l. 2. de Publica Comparatione.

Ex Nouellis.

Nouella LXXX. 95.
Nouella LXXXVIII. 67.
Nouella Valentiniani. 93.

III. INDEX
rerum atque verborum.
numerus paginam denotat.

Aediles Cereales 63.
Aedilis primus 8.
Aerarium ad frumentationem deſtinatum 107.
Annona ciuica 99.
— militaris 99.
Annonae praefectus 64.
— — primus 12. 64.

Anno-

Annonaria lex. 4.
Apparitores præfecti annonae 66.
Bona Porſennae vendere quid? 6.
Carnis porcinae diſtributio. 115.
Catabolenſes 94. 122.
Caudicarii 93.
Canon Vrbis Romae 127.
Cereales Aediles. 63.
Cereales a Caeſare creati 63.
Codicarii 93.
Codicariae naues 93.
Congiarium 76.
Decumae prouinciae 44.
Decumanum frumentum 44.
Donare quis dicatur 1.
Donatiuum quid 76.
Dos piſtoria. 120.
Frumentum decumanum 44.
Frumentum emtum. 44.
— — aeſtimatum. 44.
— — imperatum 45.
— — aeneum 111.
— — quando diſtributum 78.
Frumenti quot genera. 1.
— — diſtributores 17.
— — — — ex L. Sempronia. 22.
— — — — ex L. Liuia. 32.
— — — — ex L. Terentia et Caſſia. 39.
— — — — ex L. Clodia 55.
— — quantitas ex L. Sempronia 24
— — — — ex L. Clodia 51.
— — — — Caeſare et Auguſto 62.
— — Curatores publici Caeſare et Auguſto. 63.

Frumen-

Frumentatio quid. 3.
Frumentator quis. 3.
Frumentaria lex. 4.
Frumentaria largitio. 1.
— — eius origo. 4.
Frumentaria largitio Caeſare et Auguſto. 59.
— — Tiberio. 81.
— — Claudio. 83.
— — Nerone. 84.
— — Tito Veſpaſiano. 85.
— — Domitiano 85.
— — Traiano. 88.
— — Hadriano. 100.
— — Antonino Pio 102.
— — M. Aurelio Antonino. 103.
— — Alexandro Seuero. 104.
— — Conſtantino M. 108
— — Conſtantio. 117.
— — Valentiniano ſen. 119.
Frumentaria largitio Gratiano. 130.
— — Valentiniano iun. 131.
— — Theodoſio M. 133.
— — Honorio. 135.
— — Arcadio 139.
— — Theodoſio iun. 141
— — Iuſtiniano 143. vsque ad fin.
Frumentariae prouinciae. 19.
— — ex L. Clodia. 57.
— — ex L. Sempronia. 26.
— — Caeſare et Auguſto. 28.
Frumentarii 73.
— — Menſores. 73.
Frumentariae teſſerae 69. 70.
Frumentantium numerus ex L. Terentia et Caſſia. 21. 19.
Frumen-

Frumentantium numerus ex L. Sempronia 23.
— — ex L. Clodia. 54.
— — Caeſare et Auguſto. 74.
— — Trajano. 100.
— — ex SCto Catoniano. 50.
— — ex Lege Liuia. 32.
Frumentantium recenſus 57. 69.
— — eius origo. 57.
Frumenti pretium ex L. Liuia. 32.
Gradiles panes. 79.
Gradus frumentandi cauſa extructi 90 ſeq.
Horrea frumentandi cauſa extructa 72.
— — Portuenſia. 138.
Largiendi mos antiquus 6.
Largitio frumentaria quid? 1.
— — prima. 7.
— — ſecunda. 8.
— — tertia. 10.
— — quarta. 14.
— — quinta. 14.
— — ſexta. 15.
— — ſeptima. 15.
— — octaua. 16.
— — nona. 16.
— — decima. 17.
Largitionis quantitas
— — — — ex L. Clodia. 51.
— — — — ex L. Sempronia 24.
— — — — ex L. Terentia et Caſſia. 36.
— — — — Caeſare et Auguſto Impp. 62.
Lex frumentaria quaenam 4.

Lex

Lex frumentaria Sempronia 20 - 27.
— — Apuleia 30.
— — Liuia. 31.
— — Terentia et Caſſia. 34.
— — an perlata? 35.
— — diſtributores. 39.
— — Clodia. 71.
— — — — largitionis quantitas. 54.
— — — — frumentantes 56.
— — — — frumentar. prov. 57.
— — — — recenſus. 57.
Leges frumentariae a Sylla abrogatae. 33.
Legis frumentariae antiquae fragmentum. 28.
Legatum teſſerae. 71.
Mancipatus. 96.
Mancipatus piſtorius. 95.
Mancipes. 95.
— — piſtorii 95.
Menſa olearia. 114.
Menſores. 95.
Naues codicariae. 93.
Nauicularii. 93.
Negotiantes. 93.
Olei diſtributio. 104.114.
Panes loco frumenti quando diſtribui cœperint. 86.ſeq. 91.
Panes palatini 97.
— — gradiles 97.
— — populares. 99.
— — militares. 99.
— — ciuiles. 99.
— — fiſcales. 99.
— — Oſtienſes 99.138.
— — ſordidi. 128.
— — mundi. 129.
— — Ardinienſes. 129.
Periſſochoregia. 142.
Peritteuma. 139.
Piſtorii

Digitized by Google

Piſtorii mancipes. 95.
Piſtorius mancipatus. 95.
Piſtórum patroni. 121.
Piſtorum corpus. 90. 92.
Piſtrinum. 96.
Praefectus annonae. 64.
Quinquennales. 91. 118.
Recenſus frumentantium 57. 69.
— — eius origo. 57.
Recenſus ex L. Clodia. 57.
SCtum Catonianum. 46.
Sitobolenſes. 94.
Suarii. 115.
Supererogatio. 138.
Teſſera frumentaria. 69. 70.
Teſſerae legatum. 71.
Teſſerarii. 73.

Digitized by Google

8.

9.

'0.

'I.

'3.

Digitized by Google

005679183